29 - 5 - 14

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. 70 cl. N. 3


Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

10688

ANTVERPIA.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

M. DC. X.

Superiorum permiſſu.

Del Collegio de la Comp.ª de Jhs. de Alcala de la libreria

Año 1705 –

Digitized by Google

Digitized by Google

SENATVI
POPVLOQ.
ANTVERPIENSI.

ƒLL
10 688

DIOGENIS vox eſt, *ferarum indomitarum morſum habere nocentiſſimum, detractorem; manſuetarum, adulatorem.* neutram imitabor. Laudabo tamen, nec ſine magnorum exemplo. Et quis Virtuti laudem aut detrahat, aut non adnectat, quam meretur? Primum liuoris cuiuſdam eſt, aut ægrientis animi. ita & ſolem ægra lumina reformidant. Alterum, quis ſperabit ſe poſſe? nam cùm Virtutis immenſa ſint ſpatia, eadem laudis erunt: indiuiduo enim inter ſe hæc nexu iuncta. Oratio au-

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO
Digitized by Google

tem omnis, quacumque eam purpurâ veſtias, quibuſcumque inocules luminibus, certis definitíſque circumſcripta ſit terminis, fit, vt nulla Virtutem, aut huius gloriam aſſequatur. Et tamen cùm mihi propoſuerim non omnino ſilere, infantiam potiùs teſtabor, imbellémque conatum, quàm vt ſilentio ingratitudinis labem confitear. Ergo obſequar, non modò propenſæ huic voluntati in vos meæ; ſed & beneuolentiæ in me veſtræ: quam vellem, vel tenui hòc affectus ſymbolo, orbi teſtatam.

In omni verò hoc latiſſimo, & quæ quantoſuis oculos fallant, laudum veſtrarũ campo, nòn attingam aliena. quid ſtultius? Vt enim nemo gloriari niſi ſuo debet, ita nec laudari. Vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat; arborem, ſi pondere eorum quæ tulit, adminicula ad ter-

ram

ram deducit: non cui denſi palmites, & prole ſuâ nudi, retorti byſſo; nec cui folia, ſobole ſuâ vidua, purpurâ veſtita. propria virtus in vite, in arbore, fecundi germinis diues faciliſque partus. In homine quoque id laudandum, quod ipſius eſt. Ciuitatem cultam, laquearia aurea, pauimenta variegata, quis in homine laudauerit? non magis quàm arbuſta in illo frugifera, ſegetes canas, temulentam vindemiam, quam aut imber corrumpat, aut grando cædat, aut emedullet tabes. & vt non careant laude ſuâ, quid tamen horum in homine eſt? Animus proinde benè cultus, virtute excultus, rectus, caſtus, magnus, qui fortunam toto tulit corpore, nec proiecit victoriam proiectus; qui quoties cecidit, toties ſurrexit maior, doctus de genu pugnare, mixtis cruore puluereque dentibus, & antè ſe-

ipſum ponere in medio morſu quàm ſtationem deſerere; denique cui aſſiduæ cum incommodis ſuis rixæ, callum induxerũt; hic eſt quem iure laudes, & in quo mireris *Deum in humano corpore hoſpitantem.*

Quem, non dico, dum laudo; ſed rudi calamo, rudi tabulâ, manu rudi, Vobis, Belgis meis omnibus, Orbíque ipſi propono, non exſpectate ornatum; nudum dabo: quale decus ſolet eſſe virorum. vt exclament etiam ab aduerſario puluere:

Effulſere artus, membrorumq́; omnis aperta eſt
Latitia, inſigneſq́; humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis. latuitq́; in corpore vultus.

Procul ergo chlamys, multicolor procul byſſus. nolo his confutare obtutum; ac decorâ quadam multiplicis pallæ confluctuatione admirationem excitare. quid enim facerem aliud, quàm vt vili lacernâ tegerem

Sidereos artus, radiatáque lumina calo?

Nu-

Nudum ergo ingens membrorum, oris, frontíſque oſtentabo decus: animum nudum, nullo aſcititio colore, ſed ſuo magnum; nullo mutuatitio candore, ſed ſolari ſuo lucidum; nullo mentito roſeo rubore, ſed adnatâ purpurâ ſuâ flammeum. Atque hunc, quocumque oculos circumtuleris, magnum,

VOBIS
ET
REIP. VESTRÆ
MAGNÆ
SACRO DICOQ.

Carolus Scribanius.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM.

1.	*Educatio.*	pag. 1
2.	*Cibus, ſomnus, vigiliæ, corporis cura.*	4
3.	*Exercitatio varia.*	7
4.	*Cæli mutatio, linguarum cognitio.*	9
5.	*Veſtitus, morum grauitas, corporis compoſitio.*	11
6.	*Nobilitas.*	14
7.	*Opes, & in iis animi.*	17
8.	*Mercium orbe toto aduectarum varietas.*	22
9.	*Pecuniaria negotiatio.*	26
10.	*Orbis delitiæ, & in earũ vſu moderatio. Nauium frequẽtia.*	29
11.	*Artes Mechanicæ.*	30
12.	*Ars Pictoria.*	31
13.	*Sculptoria, Cælatoria, Inciſoria ars.*	40
14.	*Ars Typographica.*	43
15.	*Ars Architectonica.*	45
16.	*Aquæductus, Anthleæ, machina Cteſibica.*	56
17.	*Ingenium, Iudicium.*	60
18.	*Eruditio, litterarum amor.*	69
19.	*Temperantia, in cibo, in potu.*	74
20.	*Caſtitas.*	79
21.	*Liberalitas.*	83
22.	*Sermo. Fides in verbis.*	96
23.	*Animi robur.*	97
24.	*Refellitur criminatio de occupatâ ab Iberis vrbe.*	104
25.	*Militare robur.*	113
26.	*Hæreſeos nota deterſa.*	118
27.	*Pietas, & in Deum cultus.*	131

Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI

SOCIETATIS IESV

ANTVERPIA.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

ANTVERPIAM dabo. Faue DEI MATER, æternæ huic Vrbi Diua Tutelaris. Faue,

O decus, ô fama meritò pars maxima
noſtra,
Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis;
Te namque *ſine nil altum mens inchoat.*

Sed & tibi honoriq; tuo, ingens hoc laudũ pelagus
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes.
Neque hîc ego vos
—per ambages & longa exorſa tenebo.

rem dabo. Nemo proinde diuidua fluenta, quæ mœnibus circumfuſa præſidium, infuſa præbent commercium; nemo marmora, aut variarum rupium cruſtas, nemo per Æthiopicos ſcopulos, ſaxa furfurem mentientia, purpureo fucata ſperet conchylio: nemo criſpis toroſiſque erroribus maria ludentia; nemo Druonem Antigonum, Brabonem, Ambiuaritos, aut Aduaticum Cymbricum genus, exſpectet. Antuerpiam dabo,

Et magnos membrorũ artus, magna oſſa, lacertoſq;.

Digitized by Google

reliqua nec attingam. non ſoli cęlique, ſeu altricis ſeu nutricis terræ, delicias. quas ſi velim, non neceſſum habeam amplificandæ rei concinnare mendacium. neque enim quantumuis ſterili & emarcido calamo, deeſſe materies in tam fecundâ poſſit areâ. In quâ ſi hoc vnum dixero, Antuerpiam vnam eſſe, quæ viſa ſemel, Patriæ pleriſque obliuionem perſuadeat, an nō omnia dixero? Hanc talem, omni baltheo, veſtitu omni ſpoliatam, nudam dabo. atque adeò à faſciis dabo, ne ætatem vllam tranſiſſe videat intactam.

Educatio.

EXulat iam inde ab infantiâ ignauum otium, rerum publicarum peſtis, vitiorum mater: quam potiſſimùm negotio diſcuti, experientiâ diſcimus: numquam enim vacat laſciuire diſtrictis: cùm contrà, in mille facinorum furias mens otioſa diſcurrat: vt benè Demetrius, *vitam otioſam mortuum mare*, dixerit: ſed infidum, & quod ſuperficie blandiatur, placidumque ludat: ſin remigio prouoces, omni ferâ immanius eſt. Hanc humani generis efferatam belluam vt effugiant, operibus ac laboribus à primâ iuuentâ intenti ſunt omnes; turpe, diem ſinè lucro tranſiſſe. Ita fit vt corpus animumq; à teneris, puellæ iuxtà pueríque, indurent; parentque à primâ ætate ad fortuita. Idem videmus in arboribus: non ſunt ſolidę,

quas

quas frequens non incurſat ventus: ipſâ nimirum vexatione conſtringuntur, certiuſque radices figunt. In corpore & animo idem reperies. corporis illa pars ſolidiſſima eſt, quam frequens vſus ab infantiâ exercuit, & incurrentibus parem reddidit: & animus non ille validiſſimus, qui ab ipsâ natiuitatis ianuâ, callum quaſi per incommoda ſua traxit? Aſſiduo hoc ſtudio ac labore aſſequimur. ac primò voluntas bona firmaque, inde mens exurgit voluntati par. Hoc ſtudium nuſquam hîc deeſt, nuſquam labor. Hinc illud euenit, vt ad quemcumque caſum adacti, de ſuo viuant; apud ſe habeāt, quo honeſtè vitam tueantur. Neque hoc, qui è plebe tantùm, ſed qui è principibus vrbis, idque ab ipsâ infantiâ: adeò vt vix puellam reperias annos natam decem, pleraſque etiam infra hanc ætatem, quæ non in dies ſingulos aliquid ſeponat è lucro; vt gloriari cum maximis Philoſophis poſſint, nullam illis diem abiſſe ſine lineâ, nulloque non ſe die vixiſſe. Vixit cui nulla dies otio conſumpta. nam illos, quos ignaua quies aliis laborantibus molliter ſemper habuit, quis arbitretur viuere? niſi aut conchæ aut turdi vitâ, quos videmus in contumeliam viuere: quibúſque viuere ſatis eſt, etiam in caueâ cum illo Rhodio, viuant modò: etiam ex voto diſcinctiſſimi Mæcenatis:

Debilem facito manu,

Debilem pede, coxâ,
Tuber aſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum ſupereſt, benè eſt.
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, ſuſtineo crucem.

Inueniuntur tales, qui malint inter ſupplicia tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel exhalare! Non veniunt hæc vota, niſi ab ignauâ iuuentute, inter deliciarum probra, inter otij ſegnitiem, à primâ ætate, habita.

Cibus, ſomnus, vigiliæ, corporis cura.

CIbus in illâ ætate, ac in maturam adultamque adoleſcentiam, plurimùm ſine menſâ; ſomnus breuior, longæ vigiliæ. ita non diem modò, ſed & bonam noctis partem, è negotiatione labor ſibi vendicat. corporis proinde cura poſtrema. Et verò honeſtum illi vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Adde, illud è ſuperuacuâ curâ molleſcere, numquam indurari; diffluere, numquam firmari. Aliquid tamen indulgendum corpori, non nego: ſeruiendum illi nego. Quantis enim ſeruit, qui illi ſeruit? & quo modo liber eſt, qui illi ſeruit, moroſo, duroque illius imperio? quantis timoribus inquietatur, ſollicitudinibus oneratur, obiicitur contumeliis? Quamquam, ſi pro-

propiùs rem ſpectemus, ſi ad naturæ legem illud reduxerimus, minimo dimittatur. Da illi quod famem explet, quod ſitim ſedat, quod frigus arcet: hæc enim, ſi ambitionem tollis, ad manum ſunt, paruo conſtant. Tam vili lacernâ, quàm byſſo, frigus excluſeris. Et non pane & aquâ ventrem expleueris? aut quid intereſt, ab his an à vino & oſtreis latrinæ onerentur? niſi quòd magis ab his puteant. Felix menſa, quæ non irritat famem; quæ nullos ſaturos ad edendum cogit; quæ maiorem poculis ſitim non facit; ſed naturali & gratuito remedio famem ſitimq́; ſedat. Alioqui ſi ad cupiditatis dictamen viuendum eſt, quis modus erit rebus? immenſa eſt. quanto plus dederis, plus expetet. ac niſi frenum inieceris, antè ruperis, quàm expleueris. Doce illam nihil petere, niſi quod ex ratione eſt, niſi quod bonum eſt. Bonum autem in corpore, aut in palato, quis ſtatuet? quod qui fecerit, plurima neceſſum bona detrahat Deo. neque enim in illo, aut veſtium ſplendor, aut epularum lautitia, aut gemmarum & auri lenocinium: neque quidquam ex hominem ineſcantibus, & vili voluptate trahentibus. At quis credat expertem boni alicuius Deum? bonum proinde nullum erit, in quo ab homine Deus vincitur; aut quod huic deeſt: cuius ea ſola ſunt bona, quæ ſolida, quæ ſempiterna, quæ nihil pœnitendum adferunt. cetera opinione bona ſunt, & nu-

dum nomen cum veris commune habent, rebus inania.

Veniamus ad ſomnum, cui dandum aliquid non nego: ſed ita, vt ſuccumbas illi, non vaces; vt oculos è vigiliâ labantes, cadenteſque, in opere detineas: deniq[ue] vt cùm aliquando dormiſſe te ſcias, aliquando non niſi ſuſpiceris. tantum namque vitæ detrahis, quantum ſomno indulges. Quæ hæc proinde dementia eſt, vitam cum ſomno diuidere; & de tam anguſtâ re, tam rapidâ, tam volaticâ, tam nos curſim auferente, tantum detrahere? deque hoc æternitatis quodam ſtillicidio, ac ne ſtillicidio quidem, tantum decerpere? Dandum tamen aliquid ſomno: ſed vt ſeuero importunóque creditori, quantum potes, minimum. Nam quæ hæc quorumdam inſania eſt, non noctem tantùm totam, quamuis longiſſimam, ſed & diei partem optimam ſomno dicare? Non iſtos oculos tenebrarũ, vitam mortis cauſsâ accepiſſe credes, cùm vitæ partem maximam in noctem transferant? non auibus ſimiles, quæ menſis parantur, quæ in obſcuro continentur, vt iners ſagina ſuccreſcat dominum beatura? Neque minor fatuitas illorum, qui alium ſibi diem, aliam à naturâ noctem faciunt: qui ad faces & cereos viuunt: qui tædas (mortuis credas parentare) ſolem ſibi ſtatuunt. Nimirum ſordida res eſt, vulgari viâ viuere, facereque quod facit popu-

populus: quare publicus dies relinquendus, deligendus proprius, ordóque rerum mutandus; tamquam aut natura, aut naturæ conditor Deus, à ratione aberrauerit.

Exercitatio varia.

RAros reperies in adoleſcentiâ in vno genere ſtetiſſe. multa diſcere, multa ſcire, ac in omnem partem corpus animumq́ue parare, hæc patrum cura. Hinc fit, vt omnium propè rerum cognitionem ſinguli aſſequantur: paratoſq́ue ad omnes omnium negotiationes reperias; vt addubites, cui potiſſimùm ſeſe addixerint. Quid non conſequitur pertinax cura, & intentus in omnem rem animus? Eadem reperies, ne decedam à ſemel ſuſceptâ ſimilitudine, in arboribus: reuocabis in rectum, explicabiſq́ue quantumuis flexas; fingeſq́ue aliter natas, in quam propè figuram voles. quanto faciliùs animum, omni arbore obſequentiorem? Malè proinde de naturâ, de Deo querimur, quaſi negata ad Virtutem nobis via, negata ſemina: ſinguli ſingula circumferimus congenita, diuite Dei dono. Altiùs tamen, fateor, quædam in his defoſſa; ac non niſi aſſiduâ curâ & labore, vt vel in herbam exeant, educenda. in aliis arbitreris terræ ſuæ innatare, ita de facili reſpondent,

—— *nec longum tempus, & ingens*

Exiit

Exiit ad cælum ramis felicibus arbos.

In omnibus tamen ſemina, & magnarum ſemina rerum, quæ excreſcant in ingentes cælo vertices: ſeriùs hæc licet, citiùs illa, excreſcunt tamen, ſi accedat labor; nec rarò in parem altitudinem. diſcrimen plurimum non ex imparilitate ſeminis, ſed materiæ cui immiſſum. Idem namque hîc cogita quod in ædificiis, per omnia paribus; ſed quorum vnum dura accepit area, alterum mollis & fluida humus: illic protinus opus creuit, in hoc multum laboris exhauſtum dum peruenitur ad ſolidum. Ita in hominibus ingenia, & ingenita virtutum ſemina, in quibuſdã facilia & expedita; in aliis diu multúmque ſudandum. Illa feliciora dixerim, quæ parum negotij ſecum habent, &

Sponte ſuâ quæ ſe tollunt in luminis oras:

hæc magis de ſe merita, quæ malignitatem materiæ ſuæ vicerunt pertinaci conatu; quibus meritò inclames,

—Validis terram proſcinde iuuencis.

Illa aduerſarium nullum ſortita: hæc

Procuruam exſpectant falcem, raſtroſq́ tenaces;

per perpetua namque obſtantia erexerunt ſe ad magna. Illa

—nullis hominum cogentibus, ipſâ
Sponte ſuâ veniunt.

de his credas illud dictum;

Terq́ quaterq́ ſolum ſcindendum, glebaq́ verſis

Æter-

Æternùm frangenda bidentibus:
ita per ardua, via illis facienda; ac non rarò ope etiam alienâ. nihil facturi ſine duce & ductrice manu: quæ vbi acceſſerit, aſſiduo labore,

—cultuq́; frequenti
In quaſcumque voces artes, haud tarda ſequentur.
Quin & imperio quædam
Cogenda in rectum, ac multâ mercede domanda.
arbitreris cuneis viam faciendam, immittendaq́; feracia alibi nata ſemina: vt etiam quicumque duro hoc imperio, enatam domi ſuæ videat ſobolem, obſtupeat
Miretur q́; nouas frondes, & non ſua poma.
Omnes hi tamen laudem promeriti: quamquam maior illi videatur concedenda, qui in difficiliori materiâ, paria reliquis excitauit. de quo olim, in non impari re, ceciniſſe puta Vatem;

—Qui quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit:
— non hiemes illum, non flabra, neque imbres
Conuellunt, manet immotus, multóſque per annos
Multa virûm voluens durando ſæcula vincit.

Cæli mutatio, linguarum cognitio.

NEc vno cælo, vt nec ſermone vno contenti, orbem plerique inambulant; omniúmque propè gentium ore loquuntur. ea ingenitę naturę benignitas eſt, vt in vno ore multos audias. Ac

licet congreſſus ſapientum, non montes aut maria prudentiam doceant: in variâ tamen gente ſemper reperies, quod admireris, quod imiteris; maximéque in hoc negotioſo vitæ genere, in quo cum omnium propè regnorum ciuibus, crebra commercia. Vnde fit, vt niſi mores, ingenium, & quâ ſinguli in rebus fide, quâ perfidiâ; quâ curâ, vigili, an ignauâ; quâ dexteritate, aut ſtupore verſentur cognoueris, diſcrimen plerumque incurras fortunarum omnium. Noſſe verò gentis cuiuſque inſtituta, leges, mores, hiſtoriâ indice, aut alieno ore, frigidum & inane eſt. plus enim hauries vnius menſis contubernio, quàm annuâ lectione, auditione. Scio non deeſſe qui inclament, Quid intereſt, Apenninum noueris, Graiúmve montem, Pyrenæos ſaltus, Alpium iuga, Candauiæ deſerta, Syrtes, Scyllas, Charybdes; an ignores? quid vtraque Iberia, Gallia, Latium, Germania peragrata dabunt, ſi non vt è ſingulis vitia ſua referas, reportes peſſima? Cur non virtutes & optima quæque? Multũ in hac re inſtitutio valet, & præmonita patrum; quibus non tamquam cerâ, leue hoc, ſed tamquam firmiſſimo ſpiſſamento, obturentur ad has morum Sirenas aures: multum etiam negotiis obrui, ac quaſi integi, vt tempus, adeoq; terra deſit maligno ſemini: quin & multum ſocij; quibus ferè optimis quibuſque; & ad lenocinia obduratis, liberos parentes com-

committunt, ad quos mores ſuos exigant, quos vereantur.

Exurgent hîc fortè aliqui, qui paruo contenti, oderint laborioſas has diuitias, quæ plus ſudoris quàm opum circumferant; aliquid etiam fors ſanguinis & valetudinis detrahant bonæ: obiiciantque illud Flori; Nolumus veſtro more

Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

quibus ego, omnium nomine, repono illud Cæſaris: Nec nos volumus

Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas.

Quanto enim tutius prudentiúſque, animum corpúſque fatigare, quàm pingui otio ſaginare? vt ſi quid euenerit grauius, non expalleſcas, cùm omnium pænè gentium moribus ac conſuetudine, nec meditatione aut lectione nudâ, didiceris, nihil in hac vitâ ſperari poſſe æternũ, nihil æquabile; non magis quàm perpetuam, inter flatus fluctuſque, maris malaciam.

Veſtitus, morum grauitas, corporis compoſitio.

IN omni corporis habitudine digna elucet viro grauitas: hinc nihil in voce, alloquio, oculorum aut lateris iactatione quod leuitatem ſapiat. Teſtudinem cogita, fidium concentu nobilem: ita ad artem omnes, & ad regulam compo-

 ſiti.

ſiti. Certant cum viris nuptæ, ac propè maieſtate vincunt; certāt virgines. Magna vbique maieſtas oculorum, inceſſus, oris, veſtium: in quibus nihil, quod libidinis negotium curet. nulla hîc purpura multo ſaturata conchylio, intexta auro, coloribus diſtincta; aut ſanè nō niſi perquàm rara. Plurimùm pullâ veſte gaudent: & reſpondet innatæ morum grauitati & modeſtiæ: veſtitus enim pudoris prænuntius eſt: nam mores ferè habitus prænuntiat. grauitatem ergo hic, & quamdam maturitatem ſapit. nihil leue, nihil quod matronalem, nihil quod virginalem pudicitiam dedeceat.

Video in Regnis Prouinciiſque variis, quaſdam tot capillaturæ ſtructrices adhibere, quot viri inſederint animis: quaſdam perpetuis gemmis auroque non tam veſtiri, quàm integi; frontes de dracone, aures de conchâ, brachia de luminibus lapillorum arctare: video ſaltus & ingentia prædia de tenerâ pendere ceruice; ac ſingulos propè digitos Kalendarium expendere. Hinc illa virorum naufragia. neque enim de integrâ conſcientiâ venit hoc ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorium libidinis eſſe ſcimus. Ab artifice diabolo veniunt hæc irritamenta, quæ de proximo curant luxuriæ mercimonia, & obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis. Quid enim hæc faciunt aliud, quàm

vt

vt cultus ſocietate formam proſtituant; ac de longinquo etiam trahant in noxias flammas, draconis exemplo, qui de longinquo ſpiritu abſorbet alites?

Sed & quaſdam, in quibuſdam Prouinciis, non dicam veſtiri, ſed vix ſexum tegere; ita nullum illis à veſte auxilium, vix pudori eſt: alias etiam nullâ iam veſte pectus oſtentare nudum, quo & ſtuporem quemdam inædificẽt viris, & inaccendant frigus, ſcandaláque vſque ad cælum iaculentur. Olim matres cùm pectoralem faſciam ſoluerent proli, ſecretum captabant: nunc etiam virgines totũ propè pudorem in oculis omnium circumferunt; quid niſi vt proſtituant omnibus? Hæc alibi: aliud hîc video. Omnium habitus ſeueritatem redolet, & pudicitiam teſtatur, vt reliqua taceam. Quòd ſi quæ ſtructiùs procedant, vel natalium, vel dignitatum, vel diuitiarum cauſsâ; ita temperant, vt prætextu neceſſitatis, nihil laſciuiam ſapiat, ne virorum quemquam petulantiâ ſuâ vulnerent. magiſque quo propiùs intueberis, videbis tales, ſerico probitatis, pudicitiæ byſſo, quàm voluptatis indutas. Vultus verò in pleriſque omnibus tranquillus & placidus; frons pura, nullâ aut mœroris ſuperuacui, aut effuſioris motus rugoſitate contractior: oculi in lætum æquè ac ſeueritatem remiſſi: os modeſtiâ & tranquillitate ſignatum: verba aperta & recta, &

quæ ferè pectus prodant, ab omni arte alienum. Deniq; tota habitudo ſeueritatem potiùs, quàm alium minùs compoſitum præfert affectum. Nihil hîc leue, nihil quod raritate & peregrinitate ſuâ alliciat: ſed maturo quodam ingenitæ grauitatis pondere caſtimoniam ſingula ſpirant, vt vidiſſe ad honeſtatem ſatis ſit. Quòd ſi quis arſerit hoc igne, ſolo earum aſpectu, tamquam flumine, reſtinguitur incendium. Hoc audeo: nihil me vel in moribus vidiſſe maturius, vel in oculis caſtius, vel in vultu modeſtius, vel in ore tenerius, vel in inceſſu temperantius, vel in colloquio circumſpectius, vel in totius corporis conſtitutione magis ad regulam. Nulla autem inter has otioſa; otium fauilla libidinis. nulla hîc vinoſa; vinum laſciuiæ fomes. nulla frequens in contuberniis; per hæc irrepunt verba pudoris inimica. *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.*

Nobilitas.

NObilitatem nullam prædicabo. Socraticam ſanè nemo excludet: animi nimirum & corporis bonam temperiem. Benè Democritus, rogatus in quo conſiſteret nobilitas: Pecudum, aiebat, in valido corporis habitu; hominum, in bonitate morum. Mens ergo bona nobilem facit. At hæc patet omnibus; & ad eam nobiles ſunt omnes. poteſtque ex casâ vir magnus exire;

poteſt

poteſt ab aratro, à ſutrinâ, ab argillâ: Hoſtilius, Tarquinius Priſcus, Seruius Tullius, Fabricius, Curius, Iphicrates, Agathocles, & tot orbe toto magna nomina, à quo originis ſuæ primogenia duxerunt? Poteſt ex tenui humiliq́ue corpuſculo auguſtus & magnus animus prodire: Seraphicus Franciſcus in exemplar editus, vt ſciremus non vilitate corporis animum fœdari, ſed huius pulchritudine corpus ornari. Poteſt & è plebe magnus Imperator exurgere: Decij mihi teſtes, Marius, Rupilius, Ventidius, plebeiæ animæ. Patritius Socrates non fuit; Cleanthes rigando hortulo locauit manus; Platonem non accepit Philoſophia nobilem, ſed fecit: vt non imprudenti voto ceciniſſe videatur Vates:

——Quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Malo pater tibi ſit Therſites, dum modò tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq́ arma capeſſas;
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Ac ſi originem ſpectes, ac longam maiorum ſeriem; à primo mundi, vſque in hoc tempus, produxit nos ex ſplendidis ſordidiſq́ue alternata ſeries. nec quiſquam eſt, qui vltra Adamum deducat genus: nec nobiliorem hoc, nec retroſiorem deſignabis. Quòd ſi pergis obſtinare, & vltra hunc genus referre; nemo iam non inde erit, ante quod nihil eſt. Corpus verò idem eſt, nec

aliter

aliter filium effudit Regia mater, quàm pauperis tugurî. Conſidera huius ſingula; ſanguinem,carnem, oſſa, muſculos, neruorum nexus, venarum diſcurſus, & ipſos medullarum in abdito theſauros: omnia terrenæ originis ſunt; corpuſque totum de limo primitus figulatum, etiam ad nationum fabulas veritas tranſmiſit.

Veniamus ad infantiam: lacte hæc & pannis iuſſa eſt eſſe contenta. ab his initiis Regna & caſæ, diademata & ſocci. Si animum cogitas, idem eſt. hunc enim omnium afflator rerum parem corporibus afflauit, tamquam animarum parens vnus. Corpore proinde & animo pares: quid reliquum, niſi vt à virtute omnis imparitas? Hæc erit ergo, quæ magnos, quæ nobiles, quæ humiles, ignobileſque dabit. Benè in hanc ſententiam Satyricus:

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pōtice, longo
Sanguine cenſeri, pictos oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica Virtus.

Benè Socrates in hanc ſententiam: rogatus, Perſarum Regem magnum fortunatumque arbitraretur; Neſcio, reſpondit, quantum Virtutis habeat. Hinc etiam hoc illius: Animus benè ad Virtutem compoſitus, nobilis eſt: reliqua longa ſæculorum varietas miſcuit, & ſurſum deorſumque

ſumque fortuna verſauit. Hinc & illud Platonis: Neminem Regum, non ex ſeruis; ſeruorum neminem, non ex Regibus oriundum.

Opes, & in ijs animi.

SI opes ſpectes, & ex his hominem metiris, etiam improbiſſimum magnum dices, cùm his onerari poſſit. An quiſquam Chelidonem è Cleopatræ mollibus vnum; an Natalem tam impuræ quàm improbæ linguæ; an Narciſſum Claudij, Aſiaticum Vitellij, Carum Neronis, Parthenium Domitiani libertos, prætulerit Poplicólæ, Menenio, Tuberoni, Cincinnato, Curio? Noli hominem metiri baſi. paruulus eſt pumilio etiam in monte; & coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit etiam in puteo. noli illum metiri alienis; non magis quàm à ſceptro aut purpurâ comœdum. ſimul enim hæc exuerit, ad ſua redibit. An quiſquam Orientis pugilem magnum arbitretur, cùm diffluerct opibus; an cũ abacti greges, cùm filij vnâ ruinâ denuntiarentur oppreſſi, cùm immundam vlceris redundantiam magnâ æquanimitate diſtringeret; cùm vxorem malis laſſatam, & ad praua ſuadentem, execraretur? tunc nimirum, non in opibus, nobile vexillum de inimico gloriæ ſuæ diabolo Deus extulit.

Feliciorem fors arbitraris diuitem. Sępiùs pauper quàm diues ridet: & huius hilaritudo, ſcenica

C pluri-

plurimùm,de ſuperficie,à ſupremis labris venit; aut ſi ab animo, fragilior eſt,cùm aduentitiis innitatur; vt quæ à ludentis fortunæ pendeat manibus: à quibus quid exſpectas ſtabile? feſtinant in damnum,ad incrementa lentè exurgunt: neque vmquam eâ celeritate res reparant, quâ rapuerunt,quâ finiuerunt. quare omne illud gaudium citatum eſt,tranſit; imò euolat paribus cum fortunâ pennis. At pauperis ab alto riſus eſt, de ſuo gaudet. Et ferè videbis diuitem cogitationibus grauem, multa meditantem, voluentem animo multa, cùm interim riſum mentiatur. retege: omne mendacium tenue eſt, pellucet, ſi inſpexeris: videbis cor exedi, ac ſuperuacaneis fatigari. Sed felix eſt. Omnis,mihi crede,perſonata hæc felicitas eſt: cõtemnes, ſi ſpoliaueris. Vis noſſe hunc ornatum? quod equo ſtratum, aulæa domui, hoc opes diuiti. Intus conſidera: noli illum æſtimare pallio,aut faſciâ Regiâ; ſepone hæc ad modicum. Intus ſpecta: vide quid lateat, quid ibi ſit; hoc illius eſt; ab illo metire; ab animo nimirum virtutibus inſtructo. Quid ergo? cum opibus felicitas ſtare non poteſt? Poteſt. nam & in diuitiis ſeſe explicat Virtus, neq; illarum poſſeſſione quemquã interdicit: ſed hoc efficit,vt intrepidè quis poſſideat. Affluunt? tenebit colorem: diffluunt? ſtabit idem color. imò aduentitia ſingula,ceu fugientia, ceu adnatantia, in ſuum colorem vertet; non ab

iis ſuum mutuabitur. Ingruant mala, bona faciet; effera, manſueta dimittet; paupertas ipſa, diuite hanc animo complectetur. Aſſuetudo ad hæc ducet, & fortuitorum frequens meditatio. Ita ſolidiſſima corporis pars eſt, quam frequens vſus exagitat. Sic nautis videmus corpora ferendo mari dura; agricolis manus extritas: ad excutiendum tela militares lacerti valent; agilia curſoribus membra ſunt: illudque, vt ſemel dicam, in ſingulis ſolidiſſimum eſt, quod exercuit: tantum valet exercitatio. Hinc & Leonibus magiſter manum inſertat; oſculatur Tygrim ſuus cuſtos; Elephantem inſeſſor Æthiops cogit ambulare per funem. Maiora dabit quiſquis virtutem ſuam fecerit. mala nimirũ iuxtà ac bona ſua faciet: nec minùs in diuitiis quàm in paupertate beatus erit. Et ſanè infirmi eſt animi, non poſſe diuitias pati. M.Cato cùm laudaret Curium & Coruncanum, & ſæculum illud, in quo Cenſorium crimen erat paucæ argenteæ lamellæ, poſſidebat ipſe quadragies ſeſtertiûm: & ſi maiores obueniſſent opes, non ſpreuiſſet. Neque enim ſe ſapiens indignum fortuitis muneribus putat; nec reſpuit poſſeſſiones: ac licet illas non admittat in animum, in domum tamen ſecurus recipit; continetque tamquam maiorem virtuti ſuæ materiam. Magnus ille eſt, fateor, qui fictilibus vtitur vt argento, vt auro: nec minor tamen ille, qui ſic argento, ſic

vtitur auro,vt fictilibus. hoc etiam fortè hîc maior:inſtrumenta enim huic explicandæ nequitiæ fortuna conceſſit. non vtitur? magnus eſt. Nam cui illa negata ſunt,quid iudices?Latēt in hoc fors vitia,plurimum auſura,ſi vires dederis. Intuere ſerpentem; licet frigore rigeat, non ideò deſunt illi venena, ſed torpent: accedat calor, & videbis non fuiſſe emortua, ſed dormiuiſſe, fortiùs nocitura ſi excitaueris.Intuere dehinc Tygres & Leones; licet ſubmittant aliquando, numquam feritatem exuent. da ſæuitiæ materiam, exaſperabitur toruitas mitigata. rarò enim vitia bonâ fide manſueſcunt;rarò in æuum deliteſcunt. experire. materiam præbe: & à paupere experimentum cape. Crudelitas,ambitio, luxuria, in paupertate latent. arrideat benignior fortuna, ingerat pleno ſinu opes; cognoſces qualis fuerit. quamdiu inſtrumenta hæc deſunt, quid iudicas? In diuite omnia habes, quæ nequitia, vt ſe diffundat, deſiderat. at continet hanc, & freno in officio tenet, nec patitur erumpere: ſin pergat efferare, calcat pedibus, vinculat, & quaſi eliſo comprimit gutture. magnus eſt, & inter primos numerandus. Quid hæc ad vos? Plurimùm. congeſſit in vos fortuna ingentes opes: ſupra priuatum pecuniæ modum prouexit; vt non iam habere,ſed calcare diuitias liceat. & in tantis opibus ſtat mens recta: hoc viri eſt,& magni; & qualem vix ſingula olim

ſæcula

ſæcula dederunt, vnum alterúmve. Scio à paupertate exiſſe magnos. Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus defuit. ergo illius filiæ ex ærario dotem acceperunt abſentis Reguli colonus populus Romanus fuit; tertius ære collato funeratus eſt. Sed & è diuitiis ſcio prodiiſſe magnos. Catonem & Senecam quis ignorat? in ſummâ fortunâ, ſubduxerunt ſe fortunæ, introrſus beati & diuites: hoc vno à magnâ mortalium parte diſiuncti, quòd plerique habeantur veriùs à diuitiis, vt æger à febribus, quàm illas habeant; Licinium cogita & Mæcenatem: at illi diuitias cùm haberent, non habebantur ab illis. Magnus itaque ille eſt, qui diuitias, quas habere potuit, contempſit: maior qui poſſeſſis ſeſe exuit; aut exutus ſtetit interritus: nec minor, qui illis circumfuſus, magis audiuit ſuas eſſe quàm credidit. Prior ille ſecurus eſt, qui in paupertate diues eſt: at neſcio an non ille maior, qui in diuitiis pauper eſt. Et ſanè ingentis animi eſt, non corrumpi diuitiarum contubernio: nec minùs, inter cælata laquearia nullum pauere ſonum, quàm ſub viridi ceſpite. Illud verò quale eſt, in ſummis opibus non trepidare ad magnitudinis ſuæ præceps, cogitet licet quoſuis caſus, & in ſublimi maximè lubricos? quale illud, paraſſe animum in omnem fortunam; & in extremâ tenuiſſe colorem, quem oſtentauit in ſummâ? Iam quod præcipitium

vereatur, qui licet in monte, in plano tamen ſtetit; & cui omnis vertex planities fuit? Vos exemplo eſtis, qui per plana & excelſa pares animos circumfertis; & in alto timidoque diuitiarum præcipitio, tamquam in humili confidentique ſolo, gradum figitis.

Mercium orbe toto aduectarum varietas.

Reliqua ciuitatis, quæ opes tangunt, quæ diuitiarum ingentem acceſſionem, quid enumerem? non omnia complexus fuero, ſi dixero, quidquid natura produxit nobile, quidquid ad huius ſimilitudinem artifice datum ingenio & manu; adeoque, quidquid in deliciis rarũ, claudi his mœnibus; vt omnes arbitreris Prouincias Regnaque in vnã vrbem meliore potioréque parte ſui commigraſſe? quidquid enim vterque Indus, quidquid Arabs, quidquid Tagus, Nilus, Tyberis, Rhenus, Iber, Sequana diuite produxit fluxu; quidquid demum Oceano toto natura luſit, hîc ſedem iures firmaſſe. Vis marmoris eboriſque ſtrues tamquam rupes? vis piperis, caryophyllorum, zingiberis aggeriem tamquam montes? vis cinnami, croci, nardi nemora? vis ferri, chalybis, plumbi, ſtanni, æris ductilis aut caldarij, Cyprij, Corinthij, campanici, argentíque auríque quædam fluenta, vt arbitreris metalla hæc vrbi vernacula? vis omnium vbique gentium opes, gemmaſque,

maſque, quas aut vanus Aethiops, aut inanes Parthi bullarum vice per omnia corporis anxiè forata,inſerunt; hîc de draconum frontibus, ibi de piſcium cerebris onera venantes; alibi de fluminum ac maris reiectitiâ deſpumatione conchas piſcantes, & in iis duriorem verrucam? vis quidquid orbe toto de raritate & peregrinitate gratiam poſſidet? hîc reperies. Vis deinde quidquid luxus cum naturâ depugnans inuenit, auſáque de colore eſt prouocare florem nobili tinctura, & textrinâ pari? cogita quidqud vbique florum,colorum varietate nobile; ſinon ſuperari, æquari naturam videbis: ita ingenioſa ambitio eſt: inuenit in Galatiæ grano, in purpuræ faucibus, in tenui venulâ, in rupibus à mari percuſſis, in alite, in omni re propè, quod educeret in oſtẽtationis pompaticæ curioſitatem. Iam nec vno contenti colore,alium alio operimus; ſic gemina à portentoſis non vno loco ingeniis via demonſtrata faſtui eſt.nec ſemper ſatiantur vellera, non bombycum viſcera,non arborum filamenta; ſed fraudantur ſucco, ſitíque ſuâ; ne totum ſi imbibant,referant liquorem: quin & ſuprà quàm expetunt bibere coguntur, vt ebria arbitreris,cùm plus hauſerint quàm poſcant. Diluitur etiam color vario in decorem accerſito temperamento, vt aliud iam referat,quàm natura dedit; ita iuuat luxum geminare miſcendo, & ipſa adulteria adul-

adulterare naturæ,ne viciſſe hæc videatur.

Quantas deinde vni lanæ aut byſſo picturas videmus intertextas;hîc ſcutulis,ibi floribus,alibi ſiluis,pratis,fluminibus,fontibus, montibus, vallibus,rupibus,& animalibus omnis generis,ad inuidiam rerum ipſarum ludentibus? vt nec montium deſideres vertices , non camporum ſupinam planitiem, non amnium fluores, pratorum virores, non lætam nemorum opacitatem; non hîc ſcrupoſum, illic fecundum ſolum; non ſteriles auenas, non fenerarios culmos;non rupium aſperitatem,non maris ſæuitiam, non malaciam; non volatus auium,volutus ſerpentum, ferarum curſus:ita in vnâ ſæpè texturâ,tam aduerſantia, & à variis delecta locis in vnum redacta corpus, cum naturâ de venuſtate depugnant.Quid quòd & viuentium vellera, purpurâ coccoque infecta viderimus , velut illa ſic naſci cogeret luxuria? quanto dehinc argento & auro intexta? quaſi parum ſit inebriaſſe purpurâ coccóve, niſi auro grauida nouum ab vtroque ſortiantur nomen : vt duplex hinc enaſcatur luxus; virorumque iuxtà ac feminarum eluceat forma, eo auguſtior, quo auguſtiori integitur.

Magnum fuerat olim in vnam deuehere Prouinciam,quidquid Europâ natum totâ; nunc niſi quidquid vbique eſt terrarum in vnam conuehatur vrbem, parum eſt. Quòd ſi quis in hoc genere curio-

curioſior, certiore ſingula diſquiſitione, Regnorum importatas opes, aut redditas ab hac vrbe noſſe volet, Guicciardinum legat: audet is, cùm Antuerpia ſtaret, negotiationem quæ annuatim inter eam Angliamq; vltrò citroq; peragebatur, ad duodecim auri milliones deducere. & quiſquam arbitrabitur pauciora ex Hiſpaniâ & Luſitaniâ, Oriente & Occidente toto, annis ſingulis proueniſſe; quiſquam ex Galliâ & Italiâ totâ inferiora; aut demum ex Germaniâ, Poloniâ, Sueuiâ, Norvvegiâ, Daniâ, Liuoniâ, Moſcouiâ ac vniuerſo Septemtrione minora? Hæc qui ſecum tacitus cogitauerit, perfacilè videbit, non infra quinquaginta auri milliones, annis ſingulis, in rerum emptionibus ac venditionibus in vnâ hac vrbe abſumi ſolitos; dum ſe Regnorum, quà patet orbis, mercimoniis onerat; ſuaque viciſſim per omnia terrarum diffundit Regna. Neque interim quidquam hîc tango de iis quæ intra vrbis mœnia, quæque per nobiliſſimas Belgicas prouincias diſpertitur: quorum numerum quis ineat? immenſa res planè eſt in tanto populo, tâtâ comprouincialium frequentiâ, qui ferè ab hac vnâ pleraque mutuantur: arbitreris matrem diuite ſemper vbere grauidam, cuique numquam deſit quod largiatur: arbitreris mare, cuius indefecta materia eſt; quanto plus hauſeris, tanto plus credas accreſcere; tantoq; plus influere, quâto plus defluit.

Pecuniaria negotiatio.

IAm ſi ad pecuniariam negotiationem reflexeris oculos, credes omne hîc orbis aurum effuſum. exemplo vno alteróve aperiam. Vidimus his annis, vix ſolidis diebus viginti, ingenti auſu, è priuati nobilis negotiatoris manu ſupra ſeptingēta aureorum millia in militaria erogari ſtipendia: vidimus deinde ab eâdem manu, menſe vno auri millionem vnum; ab eâdem denique menſibus non tribus integris, portentoſo conatu, auri milliones duos, & ſuper hæc aureorum ſeptingenta millia. Addo aliud, neſcio an minùs portentoſum; & conferre lubet cum veteribus. Inter humana prodigia, æs alienum Milonis, qui Clodium occidit, Plinius poſuit: at quid ſeſtertiûm ſeptingenties, ad auri milliones ſex, quos priuati duo, priuato debuerunt nomine? quibus tamen Rex ipſe plura longè debuit. O animos non Spartâ, nec Româ, ſed Belgio, & Antuerpiâ vnâ dignos. Quid faciant Reges, in tam audaci fortunatoque priuatorum conatu? Quid Cæſar Dictator, cui ingens viſum eſt, poſt ſubactum orbem, poſt tot exercitus, tot terrâ marique prœlia, auri debuiſſe milliones ſex; cùm priuati duo non horruerint ad Cæſarianum æs; à quo etiam omni exuere ſe poſſe ſperant tam felici raroque euen-

euentu, quàm forti aggreſſi erant auſu? Quid Craſſus, cui ſatis fuit ad diuitis nomen legionem annuo tueri redditu poſſe, cùm ipſe in agris ſeſtertiûm M M. poſſideret? Quid Cæcilius Claudius, qui teſtamento edixit, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, relinquere ſe tamen ſeruorum millia quattuor, centum XVI.; iuga boum tria millia ſexcenta; reliqui pecoris cc. quinquaginta ſeptem millia; in numerato H-S. DC.? Quid Varroni narratus Ptolomæus, quem ſcribit octona equitum millia pecuniâ ſuâ tolerauiſſe; mille conuiuas totidem aureis potoriis, mutantem vaſa cum ferculis, ſaginaſſe? Quid Pythius Bithynius, qui platanum auream, vitemq́ue nobilem, totq́; modis laudatam, Dario donauit; qui Xerxis copias, ſepties nimirum centena LXXXVIII. hominum millia, excepit epulo; ſtipendium quinque menſium frumentumq́ue pollicitus? Et hæc prodigia humanarum narrantur opum. & tamen quanta hæc portio ad immanes priuatorum in Republicâ hac conatus, paucorum menſium auſu?

Iam ſi veteres intueamur, & ad retroſiores, oculos conuertamus; ſciunt omnes, quicumque antiquitatem ſciunt, non fuiſſe apud illos numerum vltra centum millia: multiplicari deinde hęc ad decies centena millia pro portento fuit. at ætate noſtrâ, & in vrbe potiſſimùm hac veſtrâ, auri milliones tam crebrâ etiam plebeiâ teruntur lin-

guâ, vt non minùs familiares nunc illi ſint, quàm talenta olim decem.

Nemo hæc mirabitur, qui cogitauerit, quidquid propè gemmarum, quidquid aromatum diues profudit Oriens, quidquid Occidens auri potens, in vnam fluxiſſe hanc vrbem. Vis propius aliquid, quiſquis opes metiri voles? intuere ciuilia hæc bella. aberraſſe ne credes à vero, qui ducentos auri milliones, ab hac domeſticâ ſanguinariâ charybde inenatabili impactos profundo dixerit? cogita quid Iberia vniuerſa vtriuſque ſuffulta Indiæ opibus; quid apud Battauos Gallia, quid Anglia, quid Germania, ſubſidiaria vni populo regna, prodegerint; quanto partium ſtudio Regnorum opes, ab his fluctibus deſorbendas, æmulâ potentiâ proiecerint; & comperies parum dixiſſe qui ducentos, fors & qui trecentos milliones dixerit. Pudet referre plura, & creſcere dictionem in hoc infelici numero. Ergo finio; lectoris ſubductioni relinquens, quantum auri annis ſingulis per vniuerſi orbis cambia & recambia abeat redeatque ad vos ingenioſâ deductione. nam ſi in mercibus quinquaginta minimùm abeant auri milliones, quis enumeret mutatitium cambiale aurum? aut ſuperari hoc à reliquo negotiatorio, ſibi, aut cuiquam perſuadeat?

Orbis

D 2

Orbis deliciæ, & in earum vſu moderatio.
Nauium frequentia.

IAm quæcumque in cibum, quęcumque ad potum faciunt, ſi voles; ſi omnium gentium vina, Cretica, Italica, Germanica, Gallica, Iberica; ſi quidquid ad ſecundarum facit menſarum delicias; ſi pirorum, malorum, prunorum, ceraſorum, nucum, pomorum denique genus omne; hîc habebis: neque aurea deſiderabis, non punica, non cydonia, non mala citrea; non ficus, dactylos, vuas, oliuas, cappares. Quid, quòd pleraque fecundiùs hîc proueniant, quàm in patrio ſolo? Et in tantâ tamen omnium copiâ, cupediarumque, quas aut terra facili protrudit partu, aut curioſa donat manus palati proritatrix, varietate, tantiſque condimentorum ex altero orbe euocatorũ generibus, in tam profuſo deliciarum campo, tantam quantam in vobis videmus parcimoniæ regulam, quis non miretur? Plerique enim veſtrûm nec nomina eorum norunt, quæ ab vltimo orbe aut mari, diuite ſemper claſſe, tamquam ad alteram terrarum parentem deuehuntur.

Viuite felices, in quos quidquid vbique de raritate nobile, ſingulæ contulere Prouinciæ; quaſi in ornamentum vrbis huius, natæ ſint omnes, & in hâc vnam reliquarum labor ſudauerit. Viuite,

non tam diuite omnium copiâ, quàm inſigni raraque in tantâ benignioris naturæ largitione, parcimoniâ, felices. Viuite nulli Europâ totâ mercimoniis pares.

Nauium freqnētia. Vidi cùm non ſemel flumen integerent naues, & tamquam ſtrato ponte calcandum ſe Scaldis præberet; multiſque non rarò ſeptimanis in anchoris naues ſtarent, priuſquam aditu ad littus facto onera deponerent: & erant omnium Regnorum onerariæ, deuehentes quidquid vbique ſummum primumque.

Artes mechanicæ.

ARtes quis enumeret? & laus tamen cuique ſua: ab ingenio enim omnes natæ, à quo omnis manuum dictatura. Paucas interim dabo, libero & ingenuo dignas. poſſem plurimas: poſſem propè quotquot orbe toto ſparſæ recenſere, quæ aut ab hac vrbe, tamquam à matrice ſolo, in reliquas orbis defluxere Prouincias; aut tamquam à nutrice excultæ, magnis locupletatæ incrementis, diuite ad ſuos auctu rediuere, feliciores ab hoc vbere, quàm ab illo vtero.

Et omnis quidem retrò antiquitas mirata Mileſios oues tondentes; Seres arbores nentes; Tyrios tingentes; Phryges inſuentes; alioſq; exinde herbarũ ſuccis, & concharum alueis lanas incoquentes. Iam textricam Babyloniam artẽ quantis olim acce-

accepimus verſibus decantatam? quanto illius ſingula Poſſidonius ſtudio proſequutus; quemadmodum torqueantur fila, ac ſuſpenſis tela ponderibus rectum ſtamen extendat: quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiam vtrimque comprimentis tramæ remolliat; ſpatha coire cogantur, & iungi. vnde illud non minùs artifice calamo, quàm quidquid ibi manu luſum:

Tela iugo iuncta eſt, ſtamen ſecernit arundo.
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Quod lato feriunt inſerti pectine dentes.

Quæ omnia, pariaque, aut his maiora, cùm in vnâ hac vrbe, & delectu rariore, & ingenio fecundiore, & arte ſint venuſtiore, ne attingam quidem. paucis tantùm ingenuis contentus, reliquas & numero plurimas, & opere portentoſas artes tacitus præteribo.

Ars Pictoria.

Pictoriam non tranſeo intactam; maximè cùm videam lege cautum, vt picturam ſoli ingenui exercerent, perpetuo interdicto ne ſeruitia docerentur, non Sicyone tantùm, ſed Græciâ totâ. Neque ego in magnâ hac arte, viuos attingam artifices, magna Europæa miracula: nam & modica in hac enumeratione gratia, & offenſa timeri poteſt magna. Si enim paucos enumerauero, quid niſi inuidiam exſpectem? ſi omnes, ingens

ſit

ſit labor: ſi hunc illi anteferam, quid niſi linguæ iacula, aut penicilli ſperem licentiam? venient poſteri, qui ſine æmulationis prurigine, magna ſæculi vrbiſque veſtræ nomina nobili calamo propalabunt. de quibus interim, vniuerſim hoc audeo: nullam in his penicilli gloriam deſiderari; non oris venuſtatem, capilli elegantiam, oculorum argutias, non reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicienteſque vultus; non veſtium ſinus rugaſque; non venarum implexus; non articulorum membrorúmque decora, muſculorumque contuberationes, ac quaſi bulbos; non camporum læta, triſtiaque; non luxuriantes, cadentéſve nemorum vertices; non colles aſcenſu ſalebroſos; non montium dorſa paſcuis, latera viretis, opaca luſtris, aperta culturis, concaua fontibus, abrupta fecundata fluminibus. Sed neque priſcos in his deſiderabis artifices; non Athenienſem Apollodorum, Parrhaſium Epheſium, aut Xeuxen illius linteo deceptum, cui etiam palmam conceſſit ingenuo pudore, non Eupompum, Pamphilum, Demophilum, Melanthium, Echionem, Euphranorem, Cydiam, Pauſiam.

Verùm de vitâ functis, & quos mors extra inuidentię iactum poſuiſſe videri poteſt, mihi verba. Habuerũt propè ſingula orbis Regna magnos in hoc genere artifices; quorum nomina æternitati ſacrata, ab illâ omnium artium ſcientiarumque

que

q̃ue admiratrice & laudatrice antiquitate. plures tamẽ vno ſæculo, ex hac vnâ Republicâ prodiiſſe, quàm ex multis retrò ętatibus toto orbe reperies. Repetamus gratâ veteres memoriâ, & quantum fas eſt componamus.

Celebratur ab illis Bularchi tabula, in quâ Magnetum prœlium, à Candaule Lydiæ Rege repenſa auro. At ego video apud vos Franciſci Floris cæli pugnam; Luciferum deciduum, ſuperſtantem Michaëlem, huius agmina inſultantia, terrentia, minitantia; illius è præcipitio pendula, ac in medio lapſu tremula, vt & cadere arbitreris, & mente turbatâ vltimâ blaſphematione cælum impetere. Video alibi Dei matrem conſcendentem cælos, ludentesq̃ue circumſecus angelos; vt & diffluere gaudio beatas illas mentes, & aëra pennis ſcindere lento ſuauiq̃ue quodam remigio, arbitreris: ſed & omnem circa regionem cæli gaudium perſentiſcere; ita omnia lætitiæ quamdam frontem induiſſe videntur, depulſis mœroris ſignis. Huius etiam eſt Iudicium in die Domini magno. multa hîc ad horrorem; ſententia Iudicis, cuius adhuc vltima verba innatant labris, & indignantes oculi maledictum iaculãtes: inde corporum raptus, inferorum gurges; mixtæ infelici interitu maribus feminæ, iuuenes ſenibus: cæli dehinc amœna, corporumq̃ue ad illa volatus, vt mireris tam diu ſuſpenſa aëri ſuo in-

hærere quaſi æternùm volantia: quoſdam etiam apud inferos torqueri, alios in cælo gaudio diffluere, æmulâ bonorum & malorum retributione; vt & ſpectatorem ſuum tormenta terreant, & alliciant gaudia. Dedit de eâdem re Iacobus de Backer, varium & nobile opus, dignum poſteritate & vitâ; & quod cum veteribus componatur.

Magnus fuit Parrhaſius Epheſius, qui Creſſam nutricem, infantemque in manibus dedit: qui Athletam in certamine currentem, vt ſudare videatur; qui alterum arma deponentem, vt anhelare ſentiatur. Magnus Ariſtides Thebanus, cuius erat oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque ſentire mater, & timere nè emortuo lacte ſanguinem infans lambat. Non erit inferior Petrus Bruegelius, qui Infanticidium Herodis in mediâ ſtatuit niue; vt & niuem credas, & ſanguinem iures; & exhorreſcas in illâ ſanguinis & niuis, candoris & ruboris, ſæuâ miſtione. Iam vbi marem videris ſpargentem comas, lacerantem vultum, & pro ſudore lacrymas, tamquam ſalebroſos torrentes, vnicum cari ſolamen pignoris, protrudentem, quid dices? quid vbi alteram, quaſi iam iam cadente animâ, aut in vltimo ſecretionis ſuæ ſpiritu iacẽtem; in quâ cùm nihil videas lacrymarum, mortis videas plurimum: vbi tertiam vno vulnere lac & ſanguinem fundentem, pendentiſ-

que

que ab vbere infantis animam imbibentem; vt & infans lac ſanguinemque bibat, & animam in eamdem nutriciam mammam iaculetur, tamquam redditurus vitam, à quâ acceperat; non inclames, Viciſti? quid vbi infantem ingenti vulnere confoſſum, in quo intelligere poſſis quantum reſtet animæ, & in vltimâ illâ proiectione niuem pro vberibus ſugentem, quaſi in redhibitionem animæ per vulnera fugientis; non acclames, Io triumphe?

Ingens gloria Timantis, cuius eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata: quâ ſtante ad aras periturâ, cùm mœſtos pinxiſſet omnes, præcipuè patruum: in quo cùm omnem triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris velauit vultum, quem dignè non poterat oſtendere. Erítne minor Quintini Meſſys, à quo habes demortuũ Chriſti corpus linteo inextenſum? Videbis hîc ſub caræ ceruicis onere, non tam pődere quàm dolore fatiſcentem Nicodemum, ſuccidentibus genibus. Videbis Dei matrem, quæ in cruce ſteterat, in filij morte tamquam laxatis neruis, ſolutâ cõpage, decoriter ſubſidentem, ni à diſcipulo, cui commiſſa, ſuſtentetur quaſi in ſubſidium: cui etiam, non vt ſub pondere cari pignoris, ſed vt ſub ingenti mœroris mole, genua labant. Videbis & Magdalenam pugnantibus inter præcordia mœſtitudine & amore, vicariamque animam pro dilecti animâ ſpondentem, dum

capillum ſpargit, vnguenta parat, & capillorum & vnguentorum & oblitam ſui. Habes & Ioannem, in ardenti aheno, æſtuante oleo & tamquam de inſeſſoris ſui victoriâ indignante, animo vultuq́ue pacatum, ac quaſi à tepenti medicante balneo recreatum. Habes puellam pſaltriam in Ioannis cæde, inuerecundo librato veſtigio, terram non tam inambulantem, quàm verrentem: habes puellæ matrem, quæ libidinis oculos in demortui caput iaculatur, tam impuro obtutu, vt frigeat omne lupanarium ſcortum, præ hac flammâ. Magnus Xeuxis. Inferiórne Ioannes Hemſſen? aut cuius ingenij artiſq́ue decus maius? intuere vtriuſque penicilli, tamquam doctæ matris eruditos partus; dubitabis, magíſne eluceat illius Iupiter latera claudentibus diis, an huius Prodigus Bacchidibus circumſeſſus; illius Hercules dracones ſtrangulans, an huius Prodigus deiugulato marſupio, fuſtes pro genis baſians; illius Alcmena matre pauente, an huius Prodigus incertus animi, pugnantibus inter ſe, fame, frigore, erubeſcentiâ, præteritorum memoriâ, futurorum metu. Quid quòd in eâdem tabulâ non vnius gloriam æmulatus? Clarus veteri famâ Niceâs, qui ſupra reliquos, canes proſperrimè expreſſit: at noſter felem, quæ nihil illius concedat moloſſis. Clarus Pauſias, cuius boues imitati multi, æquauit nemo; ac neſcio an huius porci inferiore lintrem degrunniant miraculo.

raculo. Clarus Timomachus, cuius Medeam octoginta talentis venumdatam accepimus: aſt ego dubito, dignóne ſatis auro permutari poſſit Hemſſeni Lena, exertâ impudenti linguâ Prodigum inter amicas ludens. Taceo tabulę huius reliqua, menſæ apparatum, ſenem bibulum, cæcum citharœdum, operiſque auctorem varias vno ſpiritu tibias animantem, omnimodis peritum vt pictorem ita & modificatorem.

Varro narrat cognitũ à ſe Poſim nomine, ab eoq; factas Romæ vuas & piſces, ita vt nõ eſſet aſpectu diſcernere à veris. Quid diceret ſi culinam vidiſſet Ioachimi Buecklaer, in quâ poma & hortorum reliqua; in quâ altilia, carnes, piſces, ita rem mentiuntur, vt non vnã fallant ancillam coquariam?

Fuit & Pamphilus, cuius eſt Vlyſſes in rate, vt & periclitari videas, & ſperare: & Echion, cuius eſt Liber Pater, in quo victorem agnoſcas, & hederatam tamquam à torculari lubentiam. Apud vos verò Guilielmus Key: cuius eſt Chriſtus immoriens cruci, latroque inter blaſphemas vltimâ deſperatione voces animam ingenti corporis contorſione euomens; alterque culpam agnoſcens, & veniam deprecans. Sed ſuper hæc, ſenex venerandâ canitie, læto vultu, ore blando, cui nihil deſit extra vocem: nam & animam ineſſe reris, ita oculi, os, vultuſque reliqua, totam cum penicillo mentem afflatam teſtantur.

Laudatus etiam, & inter primos numeratus Protogenes,qui anhelantis canis ſpumam, meliùs iratâ ſpongiâ quàm penicillo expreſſit: cuius etiam eſt Satyrus tibias tenens & inflans, & variâ concentus expectatione auditorem fallens. de quo illud veteres, omnia illi cum Apelle fuiſſe communia,niſi quòd ille manum de tabulâ neſciret tollere; memorabili præcepto, nocere ſæpè nimiam diligentiam. Neque Protogene minor Martinus de Vos; cuius eſt, auerſantis pſaltriæ vultum,magni Baptiſtæ caput; truncumque corpus,tamquam à recēti vulnere & lapſu ſupinum. Huius etiam eſt Antonius in aëra raptus, tantâ ſtipatus monſtrorum ſæuâ varietate, vt nihil neceſſum ſit ad terrorem inferos adire; vna te tabula docebit quid timere debeas.

Fuerunt & alij ſinguli in arte, quam profitebantur,magni. Hic Callimachi exemplo non ſaltantes Lacænas,ſed ruſticum agmen recoctum cereuiſiâ, tam certâ expreſſit agrariâ lege, vt nec Bacchum deſideres, nec illicem tibiam. alij,nemora, arbores,frondes,luxuriantesque comas, ac quaſi à vento motas dederunt, vt & ſibilum expectes, & aues fallant infidâ ſede. pluresque hìc etiam, quos graue foret recenſere, & curioſo volumine percenſuit Carolus van Mander. Vt ſi ſuos iactet Italia Vrbinos, Angelos, Tizianos; ſuos Germania Dureos, Holbenios, Aldegrauios: ſuos

Petrus Balten. *Cornelius Molenaer* *Ioachimus Patenier,* *Ioachimus Bueckelaer.*

Ant-

Antuerpia poſſit Quintinos, Florios, Bruegelios: vt vnam iam vrbem cũ tot laxiſſimis regnis ingeniorum magnitudine audeam componere. Quid ſi ciuitatis huius reliquos? quid ſi vniuerſi Belgij nobiles pictores adduxero, & è ſingulis oppidis ſuos euocauero, quantos darem? Cleuios, Brilios, Cockios, Congnetos, Mabuſęos, Moſtardos, Moros, Schoorelios, Aertſios, Hemskerkios, Pourbuſios, Barenſios, VVinghios, Hoſnaglios, Cocxios? Cocxij eſt Antuerpię Sebaſtianus iaculo trãsfixus: in quo videas ſentire animam, ſiniſtri pedis femoriſque retractu, cùm intimã ſagitta depaſcitur: quin & ſpectatores vulneris dolorem ſentiunt: & Georgius ab eàdem manu trunco affixus; rotaque crudeli circumactu Martyris membra perpetuis nouaculis dilaniatura, in ipſo volutionis ſuæ initio cælo tacta, & in crudelitatis miniſtros eo potentiùs ſæuiens, quo in vnũ Martyrem multorum carnificum ingenia ſudauerant. equos hîc habes cum ſeſſoribus turbatos; vnum etiam excuſſum pronum in terrâ, in cuius nudo dorſo omnis ars certare videatur: neque minor hîc naturę expreſſio quàm in Apellis equo, ad quem adhinniuerunt equi viui. Nullus ſit finis ſi pergo. ergo abrumpo, & in medio curſu gradum ſiſto. totamque hanc artem, humanæ æmulam naturæ, cogitationi potiùs cuiuſque quàm calamo committo.

Scul-

Sculptoria, Calatoria, Inciſoria ars.

PIctoriam, Sculptoria comitatur; in quâ, non erubeſco fateri, vincimur numero. agnoſco enim ſtatuas, varijs in regnis, ad inuidiam propè omnis naturæ fabricatas. Memini Apollinis cubitorum XXX. ex Ponto à Lucullo delati: memini Iouis cubitorum XL. à Syſippo facti; memini Solis Coloſſi cubitorum LXX. trecentis à Charete talentis fabricati; & ſuper hæc Mercurij, in quo Zenodorus annos ſolidos decem ſudauit H-S. CCCC. Iam Phidiæ Olympium Iouem quis ignorat? quis Polycleti pueros talis ludentes; Lyſippi tibicinam temulentam; Praxitelis Proſerpinæ raptum; Calamidis equos; Creſilæ vulneratum; ceruum Canachi; Demetrij Mineruam muſicam; Euphranoris Paridem? quis Lycij pueros ſufflantes languidos ignes? quis aquilã Leocræ ſentientem quid rapiat? quis Nauceri anhelantem luctatorem; Amazones Strongylionis? quis Theodori muſcam, currũ & aurigam alâ integentem? quis Epigoni infantem matri interfectæ miſerè blandientem? quis denique Callimachi neſciat ſaltantes Lacænas? Hæc marmore, hæc ære, hæc vario lapide tot manus luſerunt, vt numero vincamur. Neque tamen adeò egeni etiam in hac parte veſtri: nam ſi non erubeſcit veritas, pauci è veſtris omnem explent numerum. quis enim Antonium van Breda, Cor-

Cornelium Floris, Ioannem de Haſe, Ionghelingum, Paludanum nouit; quis horum opera, qui non inclamet, Non impari felicitate fluxerunt hîc æra, ſteterunt marmora.

De Cælatoribus verò quid dicã? nobiles in arte, *Cælatoria*
Ariſton, Lesbocles, Prodorus, Pithodicus, Polygnotus, Stratonicus, Scymnus; omnes argentum cælare ſoliti. quibus neſcio an quidquam concedant veſtri, Matthæus Valck, Vdalricus Spirincx; & ante omnes VVolſgangus van Breda, qui primus malleo ſtiloque ſubſtratâ pice cælare docuit, cùm antè fuſili omnes ductu laminas in formas cogerent. ergo vincitis, habet hîc enim omnis retrò antiquitas quod diſcat, quod imitetur.

Iam æris argentique Scalptores quo ſtatuam lo- *Inciſoria.*
co? cedit omnis vetuſtas. Sæculi hæc beatitudo noſtri eſt; tantâque naturæ imitatione, vt nec picturæ, nec cælaturæ, nec ſtatuariæ quidquam arti debeat. Scio varias Prouincias magnos in hac arte dediſſe, noui Dureos, Aldegrauios, Leidios. nemo tamen cum veſtris, tenuioris inciſionis elegantiâ, nemo oris vultuſque venuſtate, nemo blandâ genarum adlubentiâ, nemo oculorum amœnâ ſuauitate certauerit. vincitis. ipſaque adeò natura æmula iam arti, lineamentorum melleo quodam ductu vinci ſe miratur, & dolet.

Ac neſcio an non magis, cùm etiam calamo

F æquari,

Digitized by Google

æquari,propè audeo,ſuperari ſe videt.Nemo mihi hîc veteres; nulli ſunt.nemo ab alio orbe Chinenſes aut Iapones; fruſtrà euocabit. nemo à vicinis Regnis;nihil reperiet, quod veſtris componi poſſit: ita mortui,vnius calamo,vitâ quâdam donantur, vt viuere arbitreris; nihilque iam extra vocem deſideres. qui ſi eâ felicitate animam expreſſerit quâ corpus, quid de vitâ dubitemus? Ergo calamo vincitis,quidquid vſquam antiquè, quidquid nouè fuit.& hęc gloria veſtra eſt. Fuerũt qui imitarentur, nec ineleganti ſequelâ. Verùm vmbras ibi videmus corporis veſtri; & quaſi repercuſſorias quaſdam voces ad humanas veras. Efferat nunc hîc ſua antiquitas, Apollodori Aiacem fulminatum; Xeuxis Alcmenam, Pana, Penelopen; Tiberij Archigallum; Pamphili Vlyſſem in rate; Ariſtidis ægrum; Pauſiæ boum immolationem; Euphranoris equeſtre prœlium; Niceæ canes; Athenionis agaſonem; Cydiæ Argonautas; Timomachi Medeam; arteque ſuâ claros reliquos: vnus veſter, calamo, nulli veterum cedit. Sint Attali, Demetrij, Hortenſij; non deerunt, qui aut octoginta, aut talentis centum, qui H-S. LX. aut CXLIIII. mercari velint vnius opus calami. quo etiam tamquam Apelleo penicillo, purpureum addit genis decus, labraque tingit; vt nihil interſit, ſi qua fides oculis, inter hęc emortua, & totâ plena animâ. Hinc nihil dubitem aſſerere,

rere, ſi exurgant Critias, Neſtocles, Hegias, Scopas, Lyſiſtratus, Stenius, omneque variâ ſemper olympiade artificum genus, fore, vt cum Xeuxe, vni palmam calamo, tamquam Parrhaſij concedant linteo.

Ars Typographica.

TRanſeo ad Typographicam, orbis portentum, ingenij miraculum. in quâ quis referat ſingula? quis chalybem tamquam patrem; quis æra tamquam matrem? quis plumbum ſtannúmve tamquam fecundum ſemen, fertili immiſſum vtero? atque hinc proles quibus æternùm viuitur. in quibus tam variè ars ludit, vt erubeſcat natura ſe ab humano vinci ingenio. Iam ſi in ſingulis characteribus numerum cogites; ſi intercurrentia ſpatia; ſi accentuum, ſi diſtinctionum ſenſum diſcriminantium varietatem, ſine quâ ille tamquam ſine vitâ iaceat; ſi nexuum dehinc, tamquam vinculationis indicia; ſi quibus plus intelligitur quàm exprimitur ſigna, quæ ingenioſâ deſtruſtatione & demembrant verba, & largiuntur integra; ſi maiores dein characteres, tamquã agminis ductores, & capita ſupra reliquam turbam efferentes conſideres, quis non tot in vnâ re portenta quot res arbitrabitur? Quòd ſi ad prælum oculos circumferas, plena miraculo ſunt omnia. nam quæ infrà marmora, quæ ſuprà æreæ laminæ

tamquam cylindri, quæ latera ligna claudunt, quæque hîc gemunt, ſudant, ludunt? Iam verſatilis inter chelonia ſupera & infera ſuccula, quantâ baſim premit libellâ, quãtâ exſoluit? Quid vectes referam, trochleas, ductarios funes, quid anſas, fibulas, tympana? quid pilas tomentis fartas, miro in orbem flexu tamquam torno ductas; colore deinde tamquam pingui ac adipato quodam rore tinctas, quo characteres fecundantur? qui deinde è ſtatione ſuâ, in chartam tamquam alienum agrum, exituri, nouo dominum beant fructu, à quo vita etiam poſt funera redit. Viuit enim qui non moritur. non moritur qui in cuiuſque noui lectoris oculis & pectore vitâ viuit nouâ.

Hanc vitam à Plantiniano prælo quãti acceperunt? perierãt æternæ inſepulti obliuioni; aut tamquam animâ numquam conlatâ, aut tamquam vniuerſim ereptâ, iacebant proſtrati in perenni quodam ignaueſcentes ſopore; ni ab hoc afflatore, nouâ redanimatione rediiſſent in vitam. Scio in omni propè gente floruiſſe in hac arte nobiles; noui è Latio Manutios, è Germaniâ Frobenios, è Galliâ Stephanos. at vos vnius Plantini nomine omnium tenebraſtis nomina. Si ſidera illi Regnis ſuis; Sol veſter fuit; non Vrbi huic, nõ Belgio; ſed Orbi, quà patet. Et vt omnia huius magna, nihil maius fuit Bibliis Regiis. quæ quicumque è Latio, Græciâ, Palæſtinâ, Chaldæâ, Syriâ intuebitur,

tur, non exclamet, Viciſti; octauum orbi miraculum hîc eſt? Et non tanti machinatorem operis, altè ſublatum, per quidquid eſt orbis ſicco deuehant pede, viridique

—aduelent victricia tempora lauro,

quotquot nobiliſſimæ huius & æternaturæ artis cultores, Regna & Imperia fouent?

Ars Architectonica.

SEquitur Architectonica, ars nobilis. quales verò quantique in eâ, cùm vrbs loquatur vniuerſa, quæ ſupra reliquas orbe toto caput exerit, tum vnum DIVÆ MATRI ſacratum templum locuples mihi teſtis; cuius ſi ſurgentes parietes, & conatum oſtentantes intuearis, miraberis animos ingentesque auſus, prodigioſo quouis per ſæcula opere maiores. vt iam ſi pyramides Regum, quæ orbem famâ impleuère, cogites, humiles arbitreris caſas præ hoc molimine. Cogita quas vbique voles, & ab vtroque orbe accerſe in vnum, ſiue quas in Arſinoë, ſiue quas in Memphi, ſiue quas ſex & ſexaginta hominum millia annis viginti, ſiue quas octo & ſeptuaginta annis conſtruxiſſe produntur; in quibus, in raphanos & cæpas, mille & octingenta talenta narrantur erogata; reperies audaci operis veſtri conatu, quidquid in illis magnum fuit, fuiſſe minus. Iam turris operi impoſita, quanta? parem neſcio an ętas omnis retrò vide-

rit: etiam in illâ, quam inſula oſtentat, Pharo, octingentis à Gnidio talentis ædificatâ, inueniet quod vincat: maximè cùm in ambitu anguſtiſſimo, in prodigioſam exurgat celſitatem; portentoſum per omnia humani opus ingenij. Multam, veteres poſteritatis auidi, dum in cæmento luxuriantur & lapide, impendio nulli profuturo, gloriam veſanâ quæſiuere dementiâ; nuſquam fidem repertura, niſi ab oculatis denuntiarentur auctoribus. Super quæ omnia, immania narrat Varro de Porſenæ Hetruriæ Regis monumento: cuius cùm enumeraſſet pyramides, cùm æneum in ſummo orbem, cùm huic orbi quatuor alias ſuperſtantes pyramides, altitudinem erubuit adiicere: meritò: cùm inſanæ hæ moles nihil tegerent præter cineres. Potuit aliquid vilius, potuit fœdius, ac quaſi in contumeliam humani generis certius aliquid excogitari pyramide, quam meretricio quæſtu Rhodope Aeſopi fabularum conſerua poſuit? fuit tamen hæc vno omnium ore laudatiſſima; veterumque adeò iudicio prima. Quæ omnia, ſi veſtra ſpectem, ſi Deo in DIVA MATRE dicatum templum, ſi ingentem in hoc conatum, nulla iam ſint; & ſubmittant volentes operi veſtro faſces. Adde, quòd illa in nudam vanamque oſtentationem, in fatuæ potentiæ propudioſam laſciuiam: at veſter omnis labor ſudauit Deo.

Verùm

Verùm dum vetera confero, ne verbis luſiſſe me nudis quiſquam arbitretur, componam celebratiſſimum orbe toto Epheſię Dianę templum, plurium, Plinio teſte, librorum opus; viginti & ducentis annis ab vniuerſâ Aſiâ factum; cum veſtro, DIVÆ DEI MATRIS magno nomini inſcripto. Fuit illius longitudo quadringentorum & viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti, ac in eo columnæ centum viginti ſeptem. Templi verò veſtri longitudo minimùm pedum quingentorum & decem; latitudo plurimùm ducentorum quadraginta, ac non ignobili parte ſui, ſexaginta & trecentorum pedum. Iam columnas quis enumeret? ſiue quæ ſub ingenti fornice tamquam ſub cælo Atlantes ſudant, ſiue quæ latera claudunt, firmantque vniuerſam machinam ingenioſâ dorſuatione? numero Epheſinas ſuperant. Reliqua ædis vtriuſque, cogitationi cuiuſque potiùs quàm calamo committo. perfacile enim erit ex hac rudi vtriuſq; diductione, reliqua templorum aſſequi. Iam ſi priuatorũ domus intuearis, vix oculis credas, ita in immenſum exurgũt: nec raro in pedes octoginta, centũ etiã; & tamen tam exilibus lateribus, tam tenui veſtibulo, vt plurimùm parietes nõ niſi pedem vnum latitudine expleant; ac non rarò ne pedem quidem. & perſtant æternùm: vt arbitreris nullum ſentire ſenium, nullumque videas reformidare ven-

ventorum incurſum: ſæuiant illi; ſtant domus tamquam ære fuſæ,ac ne veſtigia quidem ſæuitiæ referunt.

Venio ad publica. Senatoria domus quanta? è ſolido ſtat illa marmore;nouoque decorata ſaxo, peregrinum oſtentans ſolum,

Premit columnas vltimâ reciſas

quas arbitreris Africâ. has inter quadraginta & nouem lati ducunt aditus, oſtiaque totidem, totidemque negotiationis atria, è terrarum vltimis diuitata. Hîc ſi quis curioſior artem genuſque ſingularum velit partium, tamquam membrorum;dabo paucis, ne & defuiſſe videar,& prolixitate nauſeantis ingenij faſtidium prouocaſſe. Pars infima variegato ſtat marmore, Tuſcanâ manu, incultiore ſæuioreque ſtructurâ;cogita Centauros,homines equis ſuis implexos, aut durum Lapithûm genus. Altera Dorica. quâ olim Herculi & Marti ſacrauit ædes Antiquitas. hac Dores ſtructurâ delectatos accepimus: quæ plus oſtentat virilis roboris,tamquã humeros latos, ingenteſque membrorum artus, quàm feminei ornatus. Tertia Ionica, quâ Iunoni,Libero, Dianæ, Iones primitus templa dicarunt,muliebris gracilitatis æmula,quę nec virgineam referrent mollitiem,nec virile pectus,non oſſa,non lacertos: ſed matronali contenta maturitate, quidquid aſperum eſſet ac quaſi cęſtuoſum,fugerent;quidquid nimiam

nimiam ſuperet mollitudinem, auerſarentur. cincinnis tamen, ac tamquam femineâ capillaturâ decoriter diſcriminatâ. Quarta perpetuo columnata in orbem ambitu eſt. Frons operi toti prominet columnarum ſignorumq; nobili ſymmetriâ: omnia è maculoſo marmore, Lydio intercurrente lapide & miraculum augente. contabulatio frontis vniuerſi, ima Tuſcana, ſecunda Dorica, tertia Ionica eſt, quarta Corinthia, quâ fontium Nymphis ſacraſſe tẽpla veteres accepimus, mirâ exilitate, & virgineâ teneritudine. atque hîc ornamenta capite dependẽt, acanthi foliis, Callimacho repertore, perſimilia: totam denique floridam, faſciiſq; caput circũcinctam reperies. Quinta Italica, ſeu mauis, Cõpoſita: ex Ionicâ & Corinthiâ decorem mutuata. Hîc florum frondiumq; & pomorum videbis implexus, coronario luxu, foliis flores & fructus intercurſantibus: nec rarò trophæis ornata militaribus. in cuius medio effigies Dei Matris eſt, Polycletæâ manu, Apellæo ductu. Quam vos, immani deturbato coloſſo, ingentium ab vrbe hac conditâ beneficiorum à beneficâ illius manu acceptorum memores, gratâ ſtatuiſtis memoriâ: frendeant licet Copronymi, fremant Iſaurici, rideant Diagoræ, ſtomachentur Cyrenæi, vos hanc DIVÆ MATRIS effigiem, teſtatiſſimam ſtatuiſtis orbi, fidei à tot ſæculis acceptæ, ac iam inde à VVillebrordo in hanc æta-

G tem

tem tutatæ, teſſeram. Pergite felices, æmuli maiorum, quorum liberali dexterâ, cunctis propè Belgij orbiſque Chriſtiani primis vrbibus, Diuæ Dominæ noſtræ, auguſtiſſima ſtant templa, priſcæ probitatis ac Religionis monumenta. Latera Centauri cingunt, monſtrorum domitores, ingentibus armati clauis; vt nihil iam mireris cæſtus

— quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manus, duroq́; intendere brachia tergo;

cùm illos intueberis, quibus non modò magnũ Alcidem contra ſtare, ſed & indubitatum audeant triumphum ſperare. Excipiunt Centauros pyramides, clauduntque tamquam nobili metâ, opus nobile. Sexta, pro columnis hîc Caryatides oſtentat, quaſi in hac etiam vrbe, Græci Perſico defuncti bello de Caryatibus æternùm triumphent; ibi Perſicum ex hoſtilibus manubiis trophæum, Lacones Pauſaniâ duce ſtatuiſſe credes: tamquam ſuperbiâ caſtigatâ, barbara ſimulacra, tecto deridiculi Atlantes, domitas ſubiicere ceruices cogantur. Opus vniuerſum integit ſuperſtans aquila, expanſis alis: tamquam ſi corporis ſui molem, quadam pennarum velificatione, modico caudæ gubernaculo, contabundo volatu, in certam dirigat metam; aut in aliquam, fulminis vice, de cælo ruat prædam. putes perpetuò pendulam ſingula intueri, montes, campos, vrbes, feras,

feras, homines; ac per illa indefeſſa remigia magnum aliquid ſpirare.

Quàm verò non vno calamo, non vrbis modò huius ſed Europæ adeoque Orbis totius negotiationibus deſtinatus locus, ſed multis, magnis, nobilibuſque digniſſimus? huius area periſtylio ambitur auguſto amploque, quadraginta & tribus è Scocinio patrio marmore columnis ſubnixo: quarum ſcapi, mutuum mutuâ elegantiâ lenocinium præſtant; ita ſinguli alio atque alio elucent ornatu, tamquam ſi ſingulis ſingulæ inaraſſent doctæ manus, (quaſi facili ductilique terræ vomere aut rotâ) vt mirum ſit potuiſſe in tot columnis tam diuite varietate ludere ingenium vnum, adeò diſcriminatâ paraturâ, vt cùm ſinguli ſuo ſtent cultu, nullumque ab aliis mutuentur, tum mirâ ſimilitudine, ſpectatoris oculos, læto gratoque circumueniant dolo; dum quos primo obtutu cenſebant per omnia pares, propiore diſquiſitione, toto deprehendant, qui ſingulis inerrat, diſpares ornatu. Hìc columnis triformes inſiſtunt arcus opere Gotico, ſaxeis paſſim foliis tam ſcitè interludentibus, vt prouocare arbitreris omnem de peritiâ vetuſtatem. ſed & periſtylij fornix cum columnis de varietate & elegantiâ certat, tam raro varioque ductu, vt dubites varietas elegantiam, an hæc illam ſuperet. *Burſa.*

Non tranſeo hìc ingēti ſumptu & auſu, venden- *Aulæorum officina.*

 dis

dis exædificatam domum aulæis, quæ raritate ſuâ meritò per omnes eat ætates poſtumas. Patet in longitudinem pedes octoginta ſupra ducentos, reſpondetque operi latitudo. complectitur verò ambitu ſuo ſex & viginti loca, aulæorum reconditoria, vt arbitreris cellas promas omnium in hoc genere elegantiarum, opumque nullo calculo metiendarum; ad oculorum quantumuis curioſiorum certiſſimum ſtuporem: ita ſupra artem byſſo pleraque & auro grauida, dubium relinquunt, ars opulentiam, an hæc artem vincat. Quamquam ſi ex vero ſingula metienda, dicēda, perfacilè vicerim, nullâ olim vetuſtate ſuperatam, æquatam ſæculi noſtri artem, nullâ. Scio veteres variâ in veſte ad miraculum luſiſſe. quis enim ignoret Iſtrianas pexas, quis ſcutulato è Luſitaniâ textu; quis Martiali decantata gauſapa,

Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum?

aut cui Lucilianæ ignotæ

Pſilæ, atque amphitapa molles cū ingentibus villis?

qualia Plinio amphimalla, & villoſa ſunt vētralia. quis Phryxianas neſciat togas, nouiſſimis Auguſti temporibus (Feneſtellâ teſte) nobiles? iam papaueratas quis non audiit? quis non pictas & triumphis natas? crediderim à Mauris: præit Martialis:

Quando eques & picti tunicâ Nilotide Mauri.

Quin & Phrygiâ legimus pictas acu; an non & Ægyptiâ?

Quod

Quod Nilotis acus compreſſum pectine Serum
Soluit, & expanſo laxauit ſtamina velo.

Sed & auro habemus intextas, Attalo repertore, vnde nomen Attalicis. Colorum exinde varietas Babyloniâ primùm manu de venuſtate certauit, & nomen impoſuit. innuit Martialis eleganti verſu:

Non ego prætulerim Babylonica picta, ſuperbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Plurimis etiam liciis intexere Alexandria docuit. Hæc veteres: quæ ſi cum noſtris componantur, dices agraria illa eſſe, & in ſiluis nata; vrbica noſtra, & à ſummis ingeniis profecta. Scio inter obiecta Capitoni crimina, Babylonica fuiſſe triclinia, quę ſeſtertiûm octingentis millibus venerant. Scio quædam Neroni principi quadragies ſeſtertio ſtetiſſe. luſit ad hæc Silius:

——Fuluo certaret vt auro
Veſtis, ſpirantes referens ſubtegmine vultus.

At hæc illâ ætate, & in nouitiâ tunc reperturâ, quę ferè pretia à nouitate metitur. Quæ ſi veſtra vidiſſet, nulla ſatis digno pretio cõpenſari potuiſſe arbitrata foret: nunc frequentia vilitatem pretio peperit, ita abundantia ſemper in ſe ipſam contumelioſa eſt. Idem videmus in omni re. apud barbaros enim quoſdam quia copioſum & vernaculum eſt aurum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitiis malos onerant; tanto locupletiores, quanto

nocentiores. cùm contrà peregrinitas vbique gratiam repererit, à quâ res quęque pretium poſſidet. De varietate verò, & innumero propè colorum in veſtris luſu, quid dicam? ſuperat res ipſa fidem, adeò in immenſum creuit, ingenio ſuperante naturam. nullus hîc color abeſt, cogita quem voles; ac ſi exemplum poſcis, nulli pauones, ſiue quà colla florent, quà terga fulgent, quà caudâ iacent, tam variâ veſtiuntur plumâ, quàm ſæculi noſtri vrbíſque veſtræ tapetia: ita multicoloria, diſcoloria, verſicoloria videas, totieſque propè mutanda quoties mouenda; ac in omni flexu reflexuque alium atque alium colorem oſtentantia: vt neſcias an ludat aliquis error in re ſeriâ firmâque. Hoc, vt reliqua taceam, ſingulare, non reperiri parem in Europâ locum, tam diuite conditorio, tam cōcinnâ commodâque in omnem venditionem opportunitate, vt non aberrauerit, qui illum cum Orientis alite, de ſingularitate famoſo, de poſteritate monſtruoſo, qui ſemetipſum funerans renouat, natali fine decedens atque ſuccedens iterùm Phœnix, contulerit. omnia reſpondent. vnicus eſt Europâ, adeoque Orbe toto, locus. ſeipſum funerat, cùm venditione atria nudat: & tamen, niſi nudet, aut pereant opes, quas ipſum emedullet ignauum ſterileque ſenium, aut non ſuccedat poſteritas, niſi locum ſecuturis priorum receſſio faciat duplici fœnore, venditione, emptione; totieſ-

totieſque iterato, donec tandem hæc in orbem deceſſio ſucceſſioque dominum locuplete beet ærario.

Poſſem hîc de domo Hanſaticâ: & fors aliquid iure poſcat ſuo: parebo, ſed paucis. Protenditur longitudo in duçentos & octoginta plus minus pedes, latitudo minor eſt. abſoluitur contabulationibus tribus. prior auguſtis laxiſque in omnem partem ſeruit atriis, merciumque cuſtodiæ. reliquæ trecenta complectuntur cubicula, quæ ſingula, ſingulis mercatoribus ſufficiant. rarum hoc: & dubito, an in vllâ gente. turris domui imminet Corinthio opere conſpicua; quæ latè quaquà verſum, quidquid in vrbe, quidquid in vicinis agris, flumineque, læto proſpectu retegit. *Hanſatica domus.*

De Arce verò veſtrâ quid dicam? quid ſimile reliquus oſtentat Orbis? quid Circus Cęſaris, quid Cauea ad hanc Scauri; quid theatrum Curij; quid Labyrinthi portentoſiſſima humani ingenij opera; quid Gnidij turris? quanta procurrentia in mutuum ſubſidium propugnacula? quanti in totius operis tuitionem ſurgentes colles? Quid referam commeatuum, quid apparatus bellici reconditoria? quid reliqua ſiue in ipsâ arce, ſiue extra illam tutoria propugnationis loca, quæ pediti, quæ equiti, quà procurrendo, quà defenſando, ſufficiant? noua in ſingulis miracula qui dixerit, nuſquam aberrauerit. *Arx.*

Aqua-

Aqua-ductus, Anthlea, machina Cteſibica.

VEnio ad Aquæ-ductus, Architectonicæ non vltimam laudem. Magnum omni antiquitate miraculum aquæ-ductus Romani. ſiue quos Q. Marcius Rex, Senatus iuſſu, actis per montes cuniculis, præturæ ſuæ tempore adduxit; ſiue quos Agrippa in ædilitate, centum & quinque ſalientes, ac ſeptingentos lacus; ſiue quos Cæſar auſpicatus, perfecit Claudius; à lapide nimirum quadrageſimo ad eam excelſitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur fontes: in quod opus erogatum ſeſtertiûm ter millies. at ego neſcio an veſter labor, cùm abſit ab impendio, ingenio cedat: cùm in vnam domum aquam coëgiſtis, quæ exinde in omnes defluat officinas cereuiſiarias; tantumq́ue ſinguli nullo labore admittant, quantum res poſtulat, nuſquam deficiente flumine. nec ingenti hîc morâ opus aut tempore, momento propè cuiuſcumque ſitim explet: neque ſpem fallit mentita copia, aut exareſcit diues vena: quantumq́ue haurias, ſemper ſupereſt; ſemper reperies quod erogando ſufficiat etiam ſitientiſſimis cacabis, nocteq́ue dieq́ue omni, tot locis, tantâ vrbe calentibus, bullientibus, haurientibus: quæ non huic ciuitati tantùm, ſed & vicinis ſufficiat. Quoties aquæductus Romani ſederunt, aut exareſcentibus fontibus elementum nega-

negarunt? quoties ſubito languore populum fruſtrati; quoties plenâ morte ad dura conſilia coëgerunt? At veſter labor, perpetuatura dedit, & quæ tot iam annos nullum non dico ſenium ſentiunt, ſed nec attritionem iuuentæ. perſtant enim pari redhibitione quâ primâ die: hauriuntque, largiunturque eâdem felicitate; cùm nec quod hauriatur deficiat, nec quod largiatur deſit.

Quid Anthleas referam ingenioſo aquam ſubuectantes ſuctu; dum è terræ viſceribus colatam aquam cribro, modiolus haurit; vectiſque depreſſione in ſublime elatus embolus, aquam ſugit ſequente elemento, ne per inane ſpatium fruſtretur conatus, naturâ vacuum auerſante, inferiore aſſario aditum receptui præbente, ſuperiore verò incumbentis aquæ pondere preſſo: hinc vectis eleuatione dum deprimitur embolus, dum aſſarium infernum, aqua quę in modiolo eſt cluditur, aſſariumque ſupremum loco cedit ne obſiſtat embolo deſcendenti; iterataque vectis depreſſione emboloque elato, quæ ſuperiore ſteterat aqua loco, in caſtellum euehitur, ſuperiore depreſſo aſſario; eademque operâ noua ab imo putei aqua exſugitur, locum faciente aſſario inferiore; perpetuo quaſi ſuctu, ſuccedaneâ quà depreſſione quà elatione, indefecta hîc aqua eſt. Neque hæc, quaſi laus iſtæc vna debeatur vobis, Anthleamq; reliquus ignoret Orbis: verùm quòd *Anthlearum vſus & frequentia.*

propria laus ſit veſtra, tantam huius paſſim hîc eſſe frequentiam, vt raras vrbe totâ reperias domos, quæ non diuite illius gaudeant vbere, è quo inlatentem aquam terræ, tamquam matrici, pronâ faciliq́ue quiſquis volet, etiam puer, hauriat manu; cùm reliquorum vrbes Regnorum, vnam aliquam alterám ve, tamquam vnum alterúmve enumerẽt miraculum.

Machina Cteſibica vſus. Frequens exhinc machina Cteſibica Anthleæ iuncta; vt quam hæc è terrarum intimo exſuxit aquam, illa in eminentiora felici protrudat robore; vnde naturali ſuo delapſa pondere, per inuerſum ſiphonem in ſubiectum deducitur labrum, è cuius medio tranſmeatoria fiſtula in fontem ſalit: ita naturam ars imitata fortunatâ æmulatione quid non audet? quidq́ue adeò non aſſequitur dum imitatur? vt neſcias cui in hac æmulatoriâ pugnâ palmam largiaris: ita quos negauit illa fontes, ars dedit, tam variè ludentes, ſalientes, vt & hîc natos arbitreris: & mireris ingenio naturam ſuperatam; cùm hæc, vno ferè fluxu, hîc diuite, alibi paupere venâ, aquea largiatur dona: ars verò innumeris propè modis: à quâ Nympharum vbera aquâ pro lacte fluunt; & Bacchus aquã pro vino fundit; ſed & capite Satyri, aquam ſudant tamquam à fatigato cerebro: iam & pedes aquam ſpargunt, quaſi reliquo indignentur corpore: nec raro tamquam de viuâ rupe videas ſalien-

lientes; aut tamquam è Iunoniâ lauatoriâ ſpecu. & excipit omnem hanc aquam marmor varium, hîc candicans, ibi vndatim criſpum, alibi verſicoloribus maculis viridiq́ue paſſim intercurſu; quin & vermiculatâ ad effigies rerum & animalium cruſtâ fons totus integitur. quem ſi quãdo natura ornatum negauit, pingi patrios videmus lapides, maculaſq́ue his inſeri, aut purpurâ diſtingui; taleſq́ue planè oſtentari, quales deliciæ & admiratio optarent. Hæc veſtra, non quòd laudem ex his ſperetis, ac ne admittatis quidem: ſed neque ego hîc luxuriæ interpres: verùm vt ſciant omnes, & habere vos hæc, in quibus veteres, Mamurra Romanus Eques, qui primus Romæ marmora ſecare, luxuriamq́ue diuidere docuit; M. Lepidus, qui primus è Numidico marmore limina poſuit; L. Lucullus, qui ante omnes è Nilo atrum inuexit marmor, cui & de ſuo nomen dedit; pluresq́ue alij variâ luſerunt oſtentatione; & contemnere tamen, nec laudem ab his velle. quo maior gloria eſt habuiſſe, nec in magno poſuiſſe pretio, nec aliter vſos quàm patrio lapide.

Eſt & aliud in hoc genere quod meritò veteribus componamus. magnis illi ingeniorum contentionibus, tamquam ſæculorum ſuorum miraculum, celebrarunt hortos penſiles; magis etiam oppidum; exercitus armatos ſolitis regibus ſubter educere, maximeq́ue flumine medium

H 2 oppi-

oppidum interfluente. Quæ de Aegyptiis Thebis fabulatos veteres credit Plinius, miraculo rem ſuperante, hoc propè in vrbe veſtrâ videmus. quantæ ſubterlabuntur aquæ, quæ quamuis onerarias nullo ſentiente deuehant? vt & infrà nauigent, & ſuprà perpetuo ponte inambulent hominum millia; quæ nec ſubterlabentia flumina, nec ſentiant naues.

Ingenium, Iudicium.

INgenio plerique bono; iudicio firmo, ſolidoque, & quod moderatione quâdam & innatâ temperie iudices ad Rempublicam natum. Nam illa calentia, & tamquam de cacabo bullientia, Numidicæ, aut Pōticæ potiùs pharetræ & iaculis deuoueris. quòd ſi nimiùm etiam erigantur, ſurgantque in immenſum, præcipitio proxima ſunt. Et vt ſegetem nimia ſternit vbertas; & arbores prole ſuâ ruunt; ac perraró maturitatem attingit nimia fecunditas: ita ingenia immoderata felicitas ſua deſtituit, & trahit in perniciem, in temerarios auſus, in extrema conamina: è quibus plurimùm infortunatiſſimi euentus, dominumque, familiamque, nec raró Rempublicam vniuerſam, vno impulſu in exitium daturi. Ferè namque magnis ingeniis, magna damnumque datura innaſci videmus vitia: ac vix magnos ex non magnis ingeniis errores prodire. Quid, quòd & ætatem

tem rariùs ferant? diſces ab igne, qui quo fulſit clarior, eo extinguitur citiùs: viuacior eſt qui cum lentâ difficilique materiâ commiſſus, fumoque demerſus ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſſa quæ malignè alit. Sic ingenia, quæ illuſtriora, breuiora ſunt: nam vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. & non acumina, quo tenuiore cuſpide, citatiùs franguntur? nam & validiſſima ſi ad vltimum tenuantur, infirma ſunt: ita robur omne tenuitas atterit. Idem in ingeniis reperies, in quibus non tantùm aciem quâ penetrent, ſed & robur exoptamus quo perſiſtant: quod in ſummâ acie, aut numquam, aut perquam raro, eueniet.

Hanc temperatam aciem, & robore ſubnixam ſuo, hîc inuenies. poteſtque hoc de vniuerſis Belgarum ingeniis affirmari, ad omnes nimirum artes ſcientiaſque à naturâ facta: vt nec ad penetrandum difficilia acies vireſque deſint. cùm Belgica conſtitutio ferè ſanguinea ſit, omnium temperamentorum nobiliſſima. cui cùm accedat aliquid melãcholiæ quaſi terreum, quo quæ impreſſeris tenaciùs adhæreant; choleræ etiam quantum ſatis eſt ad res magnas aut audẽdas, aut finiendas; fit vt Belgica conſtitutio non facilè cuiuis cedat. Neque enim opprimitur phlegmate, vt quorumdam nationum aliarum, ac mulierum vt plurimùm, quo minùs capeſſendis ſcientiis idonea. *Belgarũ ingenia.*

quid enim aquæ impreſſeris, quod non elabatur, aut quod ætatem ferat? Neque melancholiâ fatigatur: quod vbi fit, quid ſperari generoſum poteſt? Nam quis neſciat inter elementa ignobiliſſimam eſſe terram, quæ melancholici humoris viua quædam expreſſio eſt? Sed neque tenuioris ac volatici cuiuſdam ſanguinis copia redundat: quod cùm accidit, in nuſquam ſatis firma aut perennatura conſilia mens agitur: ita videmus aërem ſanguini quodam modo collactaneum, leui vento momentoq́ue in omnem rapi partem, nulloq́ue ſatis ſtabili firmoq́ue loco conſiſtere. ac licet magno, non rarò, in obuerſantia ruat impetu, pari propè quo ruit, frangitur, niſi ſolidioris elementi mixturâ aërea hæc leuitas tẽperetur. Belgas proinde cùm nobiliſſimæ temperaturæ videamus, in quâ, & probatiſſimus ſanguis vitæ principium ac quaſi vehiculum dominetur, & melancholia fluxum illius, innatâ ſibi ſiccitate ſiſtat reprimatq́ue, & cholera animos addat, & permiſtum phlegma, tamquam ſuffuſo frigore calorem temperet, quis de ingenio dubitabit?

Non diffiteor interim cholericum contextum, calidum & ſiccum, ſcientiis accommodatiſſimum, vt in quo, & tenuior materia, & potentior calor, nobiliores potentioresq́ue ſpiritus generat; ac non niſi ſecundum in ſcientiis locum ſanguineo tribui, calido nimirum & humido; tertium melan-

melancholico, frigido & ſicco; quartum phlegmatico, cui hebetatior, minorq́ue quàm in melãcholico calor eſt: omnium tamen ad quas voles ſcientias contextus ac temperies optima eſt, ſi cholera melancholiam habeat ſociam, & ſanguinis plurimum, & phlegmatis modicum; vt & æſtus tamquam infuſâ retundatur frigidâ, & magnam optimorum ſpirituum materiam optimus plurimuſq́ue ſanguis ſuppetat; & ſi quid in hoc fluoris nimium, adnatâ ſibi melancholia ariditate exſuccidet.

Neque ignoro melancholicos & phlegmaticos reperiri, raro diuinoq́ue quodam ingenio, & qui cum reliquis de principatu certent: at hoc euenire neceſſum eſt, è capitis aliâ diuerſaq́ue, à corporis reliquo, temperie, cùm cerebrum, vniuerſaq́ue capitis organa, à cholerico aut ſanguineo obſidentur humore: cui permiſta melancholia, quæ cogitabundæ ac ſollicitæ mentis parens eſt, magna ſolet ingenia promittere. Idem videmus in diſſimili euentu; cùm enim cholerici gracili plurimùm & proceriore ſint corpore, mediocri ſanguinei, exili melancholici, pręgrandi phlegmatici: reperies hos exiles, melancholicos ingentes, prout quiſque copioſo diuiteq́ue, aut paupere prognatus ſemine eſt.

Quòd ſi exemplis res firmanda; euocari in teſtationem omnis retrò poteſt memoria; illa nos doce-

docebit, vt non dubitem noſtros cum primis Orbe toto ingeniis componere. Nam vt à Poëticâ exordiar, quis poſt Horatium, Lyrico clarior verſu Torrentio; aut dignior monſtrari digito prætereuntium, tamquam alter iam

Romanæ fidicen Lyræ?

Ille mearum aliquando

Grande decus columenq́ue rerum.

ille dum fata ſinerent,

——animæ dimidium meæ.

O ſequar! imò cur non vnus dies vtramq; duxit ruinam? nám quæ hæc vita, cùm partem huius animæ & meliorem Parca rapuerit, animã dimidians vnam? quamquam quid queror raptum, qui

Iam Dædaleo ocior Icaro
Viſit gementis littora Boſphori,
Syrteiſq́ue Getulas canorus
Ales, Hyperboreoſq́ue campos.
Quem Colchus, & qui diſſimulat metum
Marſæ cohortis, Dacus, & vltimi
Norunt Geloni: quem peritus
Diſcit Iber, Rhodaniq́ue potor.

Abſint ergo *——inani funere næniæ,*
Luctuſq́ue turpes & querimoniæ:
cùm ereptus licet terris, conceſſuſque cælo, monumentum poſt ſe reliquerit Belgis, Orbique quà patet, omni ære perennius,

Regaliq́ue ſitu pyramidum altius.

Tranſ-

Tranſeo ad omniſciâ ſcientiâ magnos; nec in vno, ſed in omni litterario circo gladiatores nobiles. Eraſmum, & Lipſium, & magnum, quem dixi, Torrentium quis ignorat? audeo: quis, quibus componat, nõ in vno aliquo genere, ſed in omni? Quis Goropium Becanum in ſterili fecundum materiâ? In magnis magna potuiſſe quis mirabitur? in pingui fecundum enatum germen ſolo, quis laudabit? at inter teſqua & confragoſa, ſubtracto campo tenuiſſe curſum, aut retuliſſe virentium fructum pratorum, & vndique irrigui ſoli,

—— quantumuis ſuperbo
Materia ſatis eſt triumpho.

Iam quanta in vno homine hiſtoriarum, linguarumque, omniumque quæ vbique ſunt ſcientiarum cognitio? quanta in re propè nullâ varietas? tamquam ſi quis in muſcâ, formicâ, aut ape, in ampullâ oleariâ, in orbiculo aut annuli palâ, docto ingentique ludat volumine. Benè Torrentius magna complexus paucis:

Priſcas ſed artes doctus, & ingenI
Prædiues, almæ Palladis in ſinu
Nutritus, Aſcrais ſub antris,
Threïcio meditata vati,
Et ſacra Moſi tradita, dum pius
Seruas ab alto tamquam Helicen mari,
Das vela ventis, & ſecundo
Peruolitas vada ſalſa curſu.

Qui ſi materiam delegiſſet calamo parem, quantus exurgeret, quantumque dediſſet portentum litterarium? quamquam eo admirabilior, quo, vti dixi, in tam leui areâ, tam arctâ, tam malignâ terrâ, tam inſuetâ reſpondere labori, tantam erexerit molem: vt non immeritò quotquot amant litteras, obſtupeant vnum hominem in tam arenti colle, tam exſuccido ac ardoribus emedullato, tanta protruſiſſe, frondes, flores, germina: mirenturque quotquot legunt, vnum tam numeroſâ arte multiſcium, totiugi ſcientiâ magnificum, tot verborũ linguarumque ad originem primumque genus ductorum Dædalum. Scio non defuiſſe qui è litterario puluere admorderent eminus. at quiſquis propiùs inſpexerit, ingentem hîc videbit clypeum, Palladiâ formatum incude,

— vnum omnia contra

tela inuidentium,

— ſeptenoſq; orbibus orbes

ſcientiarum implexos. vt non vereatur aut Camilli iacula, aut Turni rupem

— vacuum per inane volutam;

ſed neque aliorum quemquam qui contra ſteterit. Experiatur qui volet, ſi non

— in medius conatibus agro

ſuccidant labentque genua, ſi non illum lingua, calamus, notæque alibi deſtituant vires, ſperet ſe aliquid poſſe. Fuerit è quacumque ſpeculâ bellator,

tor, emittatque quantiuis roboris haſtam,

Illa volans, humeri ſurgunt quà tegmina ſumma
ſi inciderit, —*atque viam clypei molita per oras*
fuerit, fòrs — *magno ſtringet de corpore*
Goropij noſtri: at ſtringet tantùm; vt nihil referat extra Pallantis conatum. Vbi enim omnia ſpeculatus, interminatus fuerit, nihil emittet aliud, quàm optare ſe aliam pugnatori noſtro fuiſſe materiam, tamquam agrum, in quo ſe virtus eruditioque tanta oſtentaret. Plura ſi auſus, maioraque nouus Lauſus imparibus aggreſſus fuerit armis, aliud exſpectet telum penetrabilius ſuo; quod quocumque vallatum aggere, quocumque clypeo tectum, perque omnia *ferri terga, per æris*, perque circumducta ſeptemplicis tauri terga,

— *medium tranſuerberet ictu,*
Loricaq; moras & pectus perforet. vnde
Vnâ eademq; viâ ſanguiſq; animuſq; ſequantur.
Et terram hoſtilem moriens petat ore cruento.

Iam Philoſophos ac Theologos, magna nomina, digniſſima nō moriturâ pennâ, quid referam? Henricum à Gandauo, Baſſolium, Alliacum, Petrum de Bruxellis, Richelium, Briardum, Tapperum, Driedonem, Adrianum Sextum, Pihium, Cunerum, Rithouium, Ianſenium, Lindanum, Caniſium, alioſque innumeros.

Scio in variâ gente magnos, Thomam, Bonauenturam, Ariminenſem, Lombardum, Caieta-

num,Silueſtrum, Antoninum,Senenſem,Italos: De Rubeone,Victoriam,Sotos,Medinas,Nauarros, Toletum, Fonſecam,Molinam, Hiſpanos: Albertum, Argentinam,Conradum,Germanos: Durandum, Aureolum, Capreolum, à S.Victore,Aluernum, Gerſonem, Vorilionem, Brulefe-rum,Sanctesium,Feuardẽtium,Gallos:De Hales, Mayronem,Occamum,Catonem,Goddam, De Media-villâ, Anglos: Scotũ & Maiorem, Scotos. At ex vnâ gẽte tam varios, quàm ex vnâ Belgicâ, neſcio an educas. ita ad omnem ſciẽtiam cõpoſiti à naturâ Belgæ. quos inter, nulla, vniuerſim veſtris moderatiora ingeniis, reperies. Fateor,quædam plus habere caloris, ac quaſi ignis; ſed quæ modeſtiâ aut ſuperarent, aut certarent, nulla in hanc diem vidi. Neque hîc de ignauâ quâdam & phlegmaticis adnatâ, ſed de maturâ & ſanguineis ingenitâ, modicâ melancholiâ temperatâ, conſiliis & imperiis dandis aut accipiendis aptâ modeſtiâ,mihi verba: quam apud vos video. quo vel ſolo nomine beatam hanc Rempublicam meritò dixero. nam vt alij adducant alia, ingens hinc laudum æquor eſt; quod qui enauigauerit, næ ille mihi magnus erit, dignuſque quem omnes

—*carmine perpetuo celebrare, &* cuius
Vndique decerptam fronti præponere oliuam
vnà mecum volentes lubentes adlaborent.

Eru-

Eruditio, litterarum amor.

SCio paucis opus eſſe ad mentem bonam litteris. vbi tamen hæ fuerint, quis ſpernat? via ſunt ad Virtutem. non quòd ſemper ducem ſuum ſequatur miles: quanti in medio puluere, imò in ſupremo, deſertis victricibus aquilis plus pedibus crediderunt quàm ferro? damnabis ducem? damnabis victrices aquilas? damna ignauum militem. Idem cogita de litteris. manu ducunt ad optima, ad coronas. ſequeris? næ tu beatus. contemnis? contempti ſideris pœnas verere. Eſt tamen, fateor, vt ceterarum rerum, ita & litterarum quædam intemperantia. nec tam vitæ, quàm ſcholæ, quàm vanitati, quàm curioſitati diſcimus. Intemperantiam quis probet? numquam illa bona eſt, etiam in re optimâ. atque hoc inter felicitates huius vrbis pono: temperat hunc ardorem, & longiùs manum remouet ab hac vrticâ. Neque tamen omnino caret litteris. quas cùm quidam, alienæ ſemper famæ viperæ, aut abeſſe ab hac longiùs, aut altè hîc ſepultas inclament, operæ pretium fuit illas tangere. ſatis enim, ac nimis diu etiam, per effuſa æmulationum venena, eruditio amorque litterarum veſter maceratus iacuit; eruenda nunc illa, & è tenebricoſo deliteſcentiæ receſſu, euocanda in lucem: ita ſolares radij, per bibulos atomos, in latentem terrę viſceribus aquã

eruentes, produnt arcanum ſilentis elementi. facit idem admirator & laudator calamus; quæ latebant ingenia, obliuione tamquam ſaxei montis oppreſſu ſepulta, dum publicat, redanimat in vitam. Ergo deterſo maleuolentiæ puluere, ori etiam calamiſque rubigo ſubmouenda; vt videamus an tam litterarum inops, tam eruditionis egens fuerit Reſpublica hæc, vt aut nullos ediderit mater; aut lactauerit nutrix; aut inſertos tamquam arbori bonæ, de opimo trunco protruſerit, velut germina, flores, frondes, ſecundæ iam matris felicem ſobolem; quæ non tantùm ſeris, viciniſque daret nepotibus vmbram, ſed & opulentaret fructibus.

Poſſem enumerare non Phœnices, qui anno quingenteſimo naſcantur, ſed vno ſæculo plurimos. neque tamen omnes ab eruditione, tamquam botrum à grauidâ vite, laudem ſibi aliquam poſteritatique decerpunt. Et quem oblectet par omnium eruditio? non eſt admirationi paritas. varium ſit quod delectet. ſic vbi in eamdem altitudinem tota ſilua ſurrexit, nemo miratur arborem, cuius ſuperbum verticem lambunt nubes. & ferè mediocria, aut in turbam naſcentia, plurima ſunt: eximia ipsâ raritate commendantur. Idem reperies in ingeniis. pauca caput exerunt. & inter hæc pauca, multi in vrbe hac, felici aut vtero, aut vbere illius. neque enim tantùm

tùm

tùm matricem terram, ſed & altricem, alteram parentem dicimus: quare vtrorumque laus, vrbis eſt huius. Enumerare hîc poſſem, Sonnios, Torrentios, Aegidios, Seruilios, Læuincios, Becanos, Aialas, Schetzios, Flemingos, Viuianos, Maſios, Del-Riones, Grapheos, Ortelios, Bochios. qui, quamdiu fuerit vllus honos litteris, quamdiu ſteterit, aut Latiæ potentia linguæ, aut Græcæ gratia, cum primis orbe viris magnis comparabuntur. Non attingam viuentes, & in flore adhuc ſuo luxuriantes: nolo enim hunc campum inuidiâ grauidum: & poſſem tamen; hîc nobilem Latialis dictionis purpuram, tamquam *Sarranis ebriam ſuccis*, multa promittentem, multa dantem; ibi cæſuratim ſuccinctam, nec tam fluxu quàm rebus dictionem amplam, pluſque docentem quàm dicentem, vt in quâ, theſaurorum more, plus opum in receſſu, quàm in ſuperficie oſtentationis. Hanc talem, paucis multa cohibentem, & pectus citiùs quàm paginam implentem, videbis in plurimis: quos ſolâ rerum copiâ diuites, verborum parcos potiùs, quàm opulētos, vbere Reſpublica hæc profundit ſinu. Poſſem deinde in omni recenſere litteraturâ magnos. poſſem Euclides menſurâ fortunatos, Chryſippos numeris faciles, Archimedes radio felices, Vitruuios ad perpendiculum factos. poſſem è Rhetorum ſpatiis vernantes Hortenſios, perſuadentes Tul-

eruentes, produnt arcanum ſilentis elementi. facit idem admirator & laudator calamus; quæ latebant ingenia, obliuione tamquam ſaxei montis oppreſſu ſepulta, dum publicat, redanimat in vitam. Ergo deterſa maleuolentiæ puluere, ori etiam calamiſque rubigo ſubmouenda; vt videamus an tam litterarum inops, tam eruditionis egens fuerit Reſpublica hæc, vt aut nullos ediderit mater; aut lactauerit nutrix; aut inſertos tamquam arbori bonæ, de opimo trunco protruſerit, velut germina, flores, frondes, ſecundæ iam matris felicem ſobolem; quæ non tantùm ſeris, viciniſque daret nepotibus vmbram, ſed & opulentaret fructibus.

Poſſem enumerare non Phœnices [illegible] arbitremur inimiquingenteſime [illegible] itudinis, dum ſolam quis credat vos Scaldam potare mercimoniis amicam, reperiet totis labris Tyberim ructantes, ac Quirinali plenos fonte, magnâ vbique medullâ ſenſuum, rarâ verborum ſpumâ; idque ſeu liberam, ſeu ligatam alternare placeat dictionem.

Nolo pluribus. nec ſi velim, poſſem tam grandem gemmam tam paruo auro includere. Venient poſteri, qui validâ oratione, magna hæc nomina ſacrabunt æternitati, nullo liuore, rubore nullo comite. Nunc & hic vetat, & infames ex illo latratus; & verecundia multorum, oriſque pudiciſſima teneritudo; quæ conſtantiore vultu male

tùm matricem terram, ſed & altricem, alteram parentem dicimus: quare vtrorumque laus, vrbis eſt huius. Enumerare hîc poſſem, Sonnios, Torrentios, Aegidios, Seruilios, Læuineios. Becanos, Aialas, Schetzios, Flemingos, Viuianos, Maſios, Del-Riones, Grapheos, Ortelios, Bochios. qui, quamdiu fuerit vllus honos litteris, quamdiu ſteterit, aut Latiæ potentia linguæ, aut Græcæ gratia, cum primis orbe viris magnis comparabuntur. Non attingam viuentes, & in flore adhuc ſuo luxuriantes: nolo enim hunc campum inuidiâ grauidum: & poſſem tamen; hîc nobilem Latialis dictionis purpuram, tamquam *Sarranis ebriam ſuccis*, multa promittentem, multa dan-

ſtudiorum [illegible] ſuccinctam, nec tam fluxu ſemper diues, neque tenuita[illegible] [illegible]locupauper. vt enim tam moleſtum comatis, qu[illegible] caluis, pilos euelli: ita pleriſque pauperibus ac locupletibus euenit; par vtrobique tormentum, ſi quid demas; vtriſque enim pecunia ſua, ingens an tenüis, adhęret. neque argumentum eruditæ mentis ſunt, vt nec bonæ, ſtramenta & nuditas: plerique hæc neceſſitate patiuntur; non malunt, non elegerunt; carere vellent ſi poſſent: ac plus ſæpè opum animo poſſident, quàm qui diuitiis circumfluunt.

Temperantia, in cibo, in potu.

NOn negauero vicinam Germaniam aliquid liberalioris vini in Belgas depluiſſe. ita vicinitas noxia eſt. Fuit, cùm vniuerſim Belgæ neſcirent vinum; nec quiſquam ad potum iret, niſi impellente ſiti; quam, plurimùm, aquâ reſtinguebant. defluxit inde, tamquam ab Alpibus nix vbi incaluerunt iuga, à Germaniâ largior vini vſus; cùm antè, vti dixi, & vinum & vitem ignorarent. Verùm hoc malum temporis malignitas, ſi non penitus ſepeliuit, temperauit, & ad mediocritatem deduxit. Nec erubeſco fateri errorem, quo carere nunc delectat: nemo proficiens erubeſcit. Ac licet ſe remiſerit, qui inualuerat vſus, ac tamquam ſcabies quædam magnam corporis partem tenuerat; nuſquam tamen ſe repreſſit magis, quàm in vrbe hac veſtrâ: teſtes mihi, ſingulorum conſcientia, & qui in vrbe hac exteri. Benè, prudenter. nam ſi intueamur, quales omnes ſimus ante pabulum, & potum, in virgine adhuc ſaliuâ; ſi non multo pollentioris mentis, viuacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis excrementis inæſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo nihil tam in propinquo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere, mentior. Exulare proinde à veſtris iam mẽſis, omnem hanc

hanc voluntariam, hilaremq́ue inſaniam, quam in ebrietate videmus, quis non laudauerit? Intueamur ebrium, eumq́ue, vel in vino ſuo tamquam capulo ſepultum, quid deſiderabis præter pollinctorem? vel bacchantem, numquid de furore dubitabis? Iam ſi ſui proditorem, hoc eſt arcanorum ſuorum, videris, quid dices? vt enim onerati mero non continent cibum vino redundante, ita nec ſecretum: quod ſuum, quodq́ue alienum eſt, pariter effundunt. Scio inter pocula quoſdam tacuiſſe: noui Tillium Cimbrum, L. Piſonem, Coſſum: ſed rara hæc exempla, & non niſi ſæculo integro, vnum, aut aliud: de iis loquor, quæ plurimùm eueniunt. Latebāt antè vitia, aut ſimulatione, aut pudore, aut ratione victa: accedit ebrietas; nihil propè arcanum eſt, emergit quod latebat. Neque enim tam facit ebrietas vitia, quàm prodit. tunc enim libidinoſus nec tenebras expectat; tunc impudicus morbum publicat; tunc petulans nuſquam manum continet, nuſquā linguam maledicus: creſcit inſolenti ſuperbia, ſæuo crudelitas, malignitas liuido: omne demum vitiū detegitur: reſurgitq́ue ante omnia libido, quæ annis ſæpè integris iacuerat emortua; aut ſanè, quæ languerat, vires reſumit, maximè dum propinant vinum vaſa adulteriis cælata; tamquam per ſe parum doceat libidinem temulentia, vt neceſſum proinde ſit vina ex libidine haurire, ſi laſciuire lubeat.

Cogitemus deinde vniuerſum hominis habitum mero efferueſcentis; dubia, & parum explicata verba, & parte mediâ comeſa; oculos incertos, flammeos; pedes errantes, & quibus

—— terra vrbeſq́ recedunt;

halitus fœdos, nec cadum tantùm, ſed purulentiam deructantes, & latrinis ſpurciorem ſpiritum; rerũ exinde obliuionem & memoriæ quamdam mortem. Quid ſi ipſum hominem egrediamur, & quæ adiacẽt circumſpectiùs cogitemus; damna & incommoda nata qualia à nullo vitio? quantas ebrietas gentes, quàm validas, hoſtibus tradidit? quanta patefecit propugnacula? quantos ad ferrum ſanguinemq́; impauidos, fregit, & edomuit? ad quæ non pudenda, nec cogitata antè, compulit viros magnos, quis ignorare poteſt, niſi qui Noë, Loth, Sampſonem ignorat? & quæ res alia Antonium, cetera magnum in Romanâ Republicâ, perdidit, & in externos mores & vitia traiecit? quid magnum Macedonem? vixiſſet Clytus, ni maduiſſet Rex mero.

De Deo verò, quid dicam? quis illo tempore recordari Dei poteſt, quo ipſum ſibi hominem excidere ſolenne eſt? Fallor, ſi non Dominus plenitudinem reputat, cùm obliuionem ſui Iſraëli exprobrat: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit:* Deut. 32. *incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Si incraſſa-

craſſatus oblitus eſt Dei, quid faciet conſepultus mero, & voluntariâ hac morte exutus rationali vitâ, quâ vnâ Deum veneramur? Sapienter itaq; vos omnem hanc animorum peſtem excluditis. conatur irrumpere? obnitimini. & quo honeſtior quiſque, quo apud vos maior, eo ab hac labe remotior.

Non quòd adeò ſeuerè vos velim rigidos, vt conuiuia vniuerſim ignoretis; quibus non tam mero, quàm exporrectâ contubernalium ſermocinatione, hilareſcit animus, & ſe ſupra ſe effert: at Belgicum gelu degelaſcit, tamquam à Solis diuiniore radio, depoſitâ innatâ quâdam ſeuerioris maturitatis conditione. Lælios accepimus, Scipiones & Catones, ſolitos interdum remittere non parum de patriciâ ſeueritate, quam reſumerent, quoties aut neceſſitas aut vſus poſtulaſſet; quamque iterùm remitterent, quoties luberet, in laxamentum internæ contentionis. Facitis hoc vos, neque tam ſordidè Euclionum more, apud quos panis ſiccus, & ſine mensâ prandium, poſt quod non lauantur manus; neque tam ſplendidè ad Aeſopi patinam, in quam videas coactos in vnum omnium ſapores; neque tam tenuiter è Stoicorum diſciplinâ; neque tam moderatè è Fabriciorum foculo: ſed mediâ viâ infima ſummis miſcentes, ac ad benè viuendi temperiem, extrema hæc, rigorem & profuſionem, deducentes: vt

& amicis non ſemper oſtia pandantur, non ſemper claudantur; tempori & beneuolentiæ, mores vitamque attemperantes. Venit etiam hoc à Stoicorum ſcholâ, qui in exultationem libertatemq; extrahi aliquando volunt animum, triſti pauliſper ſemotâ ſobrietate; ita tamen, vt cùm menſa amicum exceperit, Zenonem, Tuberonem, aut Attilium aliquem aſſediſſe ſentiat: ſurgaturque è conuiuio ad negotia, & conſilia etiam de Republicâ danda. hoc eſt Stoicè conuiuari, cùm nihil de prudentiâ, de futurorum proſpicientiâ, de præteritorum memoriâ detraxeris: cùm è mensâ ſurgis ad priuata, aut publica adminiſtranda: cùm denique ſi quando exorta ſit hilaritas alienâ cauſsâ longiùs producta, citra tamen ebrietatem illa peragitur. Non hoc eſt cum Senecâ & Metrodoro de temperantiâ certare? Nullus apud vos Hortenſius, qui ſuper decem millia cadûm heredi Alcibiadi, Diotimo, Xenarcho, Heraclidi, Nouellio, Torquato, aut Parthorum alicui, tanto plus ſitienti, quanto plus biberit, relinquat: nullus Nomentanus in mensâ, recognoſcens omnium gentium animalia: nullus Apicius qui veneno vitam finiat, cùm ſeſtertio centies viuendum ſibi recognouerit, poſtquam ſeſtertiûm millies in culinam coniecerit: nullus Æſopus, in cuius patinâ fiat, quod fieri debebat in ventre. nuſquam hîc cibus rediturus, quà intrauerat: nuſquam vinum remetiendum,
quà

quà venerat. nemo æſtiuam niuem nouit, ſolatium ſtomachi æſtuantis: nemo ab vltimis euocata terrarum, aut à poſtremi maris ignoto littore, in erectionem ſtomachi labantis: nemo piſcium ſaniem, ſalsâ tabe præcordia vrentem, aut ſimilia luxuriæ portenta. Infelicis illa incontinentiæ tormenta ſunt, diſcere ab his quemadmodum non impleas ventrem, ſed farcias; quemadmodum ſedatam ſitim reuoces, quaſi non in aliud, quàm ad perdenda ſis vina genitus, & tamquam hæc effundi non poſſint, niſi per humanum corpus. Miſeri, qui non intelligunt maiorem ſe famem habere quàm ventrem. At vobis cibus eſt, nullâ arte corruptùs, nullis condituris ad irritandam famem digeſtus: ex hoc nulla laterum concuſſio, nulla dentium; nullus neruorum tremor, aut in incertum labantes pedes; nulla ſuffuſio luridæ bilis; non vultus decolor, non neruorum ſine ſenſu iacentium torpor; nulla oculorum ſtomachique ſupplicia: non genæ pendulæ, non oculorum vlcera; non tremulæ manus, effundentes plena vaſa; non furiales ſomni & inquies nocturna, cuius non ſemel præmium libido portentoſâ, & immane nefas.

Caſtitas.

VXorem quiſque ſuam ſibi iungit, in eâ poſteritatem amat: reliqua laſciuiæ genera igno-

ignorat, & monſtra arbitratur, non delicta. De matronali pudicitiâ nihil dico, adeò eas ad modeſtiam natura fecit, educatio perfecit, vt nulla in iis ætas periclitetur. Intuere vultus: videbis facies frugi, & diuinæ condignas diſciplinæ; vt arbitreris numquam viro iunctas: pleraſque etiam nec viro credas notas, ita pe petua illis adhæret comes verecundia; vt etiam multorum filiorum matribus rubor ſuboriatur, ſi quis importunior inconcinnius verbum iniecerit. putes in perpetuâ apud eas ſtatione ruborem ſtare, verecundiæ ſignum, caſtimoniæ præambulam certamq́ue teſtationem. Iam virgines vbi ſe intelligere cœperint, & pati nouum alterius ætatis, tam validè ingenuo pudore armantur, tantâ parciſſimorum verborum circumſcriptione, vt nihil deſideres ad omnem verecundiæ murum. tam ſeria deinde oculorum,

Et caſtigata collecta modeſtia frontis

eſt, vt omnes Arabiæ virgines (quæ dimidiam contentæ lucem frui, ne totam proſtituant faciem, vultum tegunt) vincant, ſi vir acceſſerit: quem nullo oculo vident; tam firmâ vtrumque cuſtodiâ ſepſerunt. Curioſior hîc fortè quiſquam virginum harum caſtimoniam propiùs volet dinoſcere: dabo quæ manibus tangi poſſint, ſolidæ continentiæ præambula indicia.

Primum. Lauda. erubeſcent. ſignum hoc pudoris

doris eſt & virginei pectoris conteſtatio: ſemper enim virginem laudando, magis quàm vituperando, confuderis; durior namque delicti frons eſt, ab ipſo delicto impudentiam docta.

II. Intuere. timebunt. timor verecundiæ comes eſt, pudicitiæ cuſtos, ſalutis fundamentum; præſumptio impedimentum timoris. Et quid timebunt? hinc intuentis oculum, inde Deum: ibi fallaciæ obtutum, hîc cenſorium Dei lumen. Sed & curioſiori illi inſpectori metuunt, edoctæ, virgineam formam gladium fieri viro; quare & huic parcunt, ſalutis illius prouidæ.

III. Loquere. reſpondebunt parcè. loquacitas pudori inimica eſt: deuehit enim illa curioſitatem libidinum vehiculum. Quin & prudentiam hinc diſces: laciniofus namque ſermo oneroſus & vanus; compendium ſermonis, ferè grauidum prudentiâ eſt.

IV. Familiaritatem venare. fugient. gaudent domeſticis ſolis notæ; doctæ virginem publicatione ſui periclitari, dum percutitur oculis incertis & multis; & ſi quando innotuerint, gradum retrahunt: ſolitudo, pudicitiæ tutamen eſt. Si quas tamẽ neceſſitas cogat in publicum, à matris latere non videbis ſeiunctas: hoc latus, vallum pudori ſuo ſtruunt, & circumdant verecundiæ ſuæ murum.

V. Licentior aliquis, euigorantia quædam, &

inſueta illi ætati verba proferat, repercutient ſæuiore aſpectu, aut cum athletâ Cleomacho ſubtrahent ſe ab impuro hoc ore, cùm etiam carere velint aurium maculâ.

VI. Quòd ſi etiam quorumdam vſque ad tentandum prorumpit improbitas, fluunt verecũdiæ lacrymæ; tamquã ſi peccaſſent, quòd alteri placuiſſent. Felices lacrymæ! dignæ pudicitiæ fontibus. Ex harum numero de æternâ virginitate cenſentur plurimæ; nubere neſciunt, niſi quòd virginitatem ſuam Chriſto nubãt; illi maturitatem ſuam ſponſent, in illiuſque voluntatem totæ concedãt: huic pigmentantur probitatis & caſtimonię purpurâ; ſummamque voluptatem in voluptatum faſtidio ponunt, ſummam gloriã in inattaminatâ carne, in inexornato ac propè naufrago corpore. Claudo hanc periodum, & audaci verbo, ſed vero. Exurge Veritas, & quaſi de patientiâ erumpe. Annis quibus hîc ſum viginti in vrbe hac magnâ, non indiligens morum obſeruator, nullam inaudiſſe me virginem honeſto loco natam, oblitam eò ſui, vt in cuiuſquam voluntatem ante matrimonium conceſſerit. Rarum exemplum; & quod in multis vrbibus vix de annuâ obſeruatione affirmaueris, ego de annis viginti. Neque hæc ita tamen accipi velim, quaſi in vrbe hac tantâ, populique prodigioſâ frequentiâ, nullæ pudoris oblitæ ſint ſui; ſed quòd hæ tales ex infimâ ferè

plebe:

plebe: quæ non tam pudicitiæ, quàm egeſtatis pertæſæ, verecundæ inopiæ opulentam inuerecundiam prætulerunt; aut diro promiſſorio maritalis thalami verbo, in alterius viri imperium conceſſerunt.

Liberalitas.

LIberalitas omnis aliquid habet diuini. Intuere cælum, terram, reliqua vtriuſque ambitu cincta; tot arbuſta non vno fœnore paritura, tot flores non vno ſucco ſalutares, tot herbas non vni morbo medicabiles; tot fortuita alimenta terræ, tanto ciborum digeſtu, non ad ſatietatem modò, ſed ad delicias enaſcentia; iam animalia, terrea, aquana, aëria; quaſi omne elementum tributum pendat homini: fontes deinde & flumina, anhela æſtuantiaque paſcua rigantia, ignaueſcenteſque campos, tamquam ſterileſcentes matrices, pingui rore fecundantia; mutuiſque commerciis viam ſternentia, quaſi his ductoribus ſingulæ Prouinciæ, ſingulorum etiam ab vltimo orbe regnorum opes habeant vernaculas: è quibus quædam ſtatis diebus horiſque incrementa accipiunt, patiuntur decrementa, quaſi conuehendis auehendiſque rebus nata. Quid referam maria, hìc tortuoſis in oblectationem erroribus ludentia, ibi relabentia, ac veſtigia in ſe ſua ſorbentia; ſed & toto deuehentia dorſo, non iam robora, ſed in-

gentia nemora, humanarum ſubſidium egeſta-tum? Quid dicam de medicatorum torrentium venis? quid de aquarum calentium balneis? quid de auri, argentique, æris, plumbi, ferri, omniumq; defoſſâ terræ metallorum opulentiâ? quid de Solis & Lunæ circuitu vicibus ſuis temperato, vt & prioris calore corpora foueantur, terra fecundetur, luxuriantia imbribus paſcua deaqueſcant, hiemis aſperitas molleſcat; huius verò tepore frugum maturitas rigetur, incrementis adoleſcat, totaque adeò natura rerum, hac quaſi duce robori coaduleſcat ſuo? Reliqua verò quid referã; vt Solis ſplẽdore impleatur, vt noctium tenebras temperet, vt humano ſolatio ſpecula, quæ menſtruus attriuerat numerus, redornet? Quæ omnia, cui? cui quæ videmus, ſi nõ in vnius eunt obſequium hominis? cui hiemes & æſtates, verna & autumna, cùm ſuis vicibus reuoluuntur? aut cui alteri quidquid hîc natum ancillatur? cui arboribus inoculantur frutices, formantur folia, inflantur germina, inornantur flores, condiuntur ſucci; & cui rurſus veſtiuntur poſt ſpolia? cui

——pampineo grauidus autumno
Floret ager; ſpumat plenis vindemia labris?

cui alteri ſemina corrupta, & diſſoluta ſurgunt fœnore interitu? cui ſepultum ſine veſte granum, nudum, ſolitarium, ſurgit ariſtâ munitum, fundatum ſpicâ, erectum culmo, copiâ fœneratum?

omnia

omnia denique, quocumque te flexeris, non vni videas famulantia homini, ac quaſi vni illi ſacramento obſtricta? Te ipſum intuere. quid extra te Dei munificentiam quæris? vide carnem, perpetuo ſanguine ſociatam, ne deeſſet, in defluentem ex non vnâ cauſsâ, neceſſariam recorporationem; oſſibus tamquam columnis ſaxiſque firmatam, neruis tamquam calce coagmentatam, venis tamquam trabibus tigniſque implexam, muſculis tamquam anchoris roboratam: colore exinde tamquã pigmento venuſtatam, capillo tamquam tecto decoratam: iam medullarum in abdito congeriem, quæ plus habet emolumenti quàm oſtentationis, plus fructus quàm elegantiæ, an non theſauros abitraberis, & exclames: Deus hæc fecit;

Namque erit ille mihi Deus, illius aram

ſupplice colam non vno voto & dono? veniunt enim hæc omnia à Deo: & veniunt prouocatoriâ quâdam munificentiâ; vt cùm ille pleno munera profundat ſinu, veriùs, totis immittat Oceani oſtiis, nos non dicam pars quædam, ſed animationis ſpirationiſque Diuinæ illius ac figulationis opus non ignobile, & quædam quaſi decidua portio, pleno quæ accepimus egentes ſinu, plenâ largiamur manu; nec tamquam è ſtillicidio guttam, cũ totis canalibus è grauidâ depluerit nube dona ſua Deus in emarcidos ſterileſque campos

noſtros, ſed tamquam è fonte torrentes, in arentia egenorum deducamus paſcua.

Nam quæ hęc improbitas, cùm vltra priuatum te pecunię modum Deus prouexerit, auro texerit, purpurâ veſtierit, & eò deliciarũ opumq; perduxerit, vt non tantùm habere tibi liceat, ſed & calcare diuitias, ac quidquid demũ ars luxurię famula elaborauit, tibi conceſſerit; vt maiora ſemper cupere ab his diſcas inſatiatâ auiditate, ac non potiùs elargiri, ſi non pari quâ conceſſit largitate Deus, at vmbram ſaltem diuinæ in te munificentiæ exprimere? Conceſſit aureorum ille tibi millia decem: potéſne Iſraële minora, aut in diuinum erogare cultum Chriſtianus; aut in egentia pluere labra, quæ ſaturanda tibi reliquit ille? At potuit ipſe. noluit; vt beneficentiæ in te ſuæ non indiligens imitator, tantorum ſupernè fluminum vel torrentes in vicina vepreta depalares: prouocareſque benignam illius manum, tamquam æmulâ quâdam viciſſitudine, in liberaliorem profuſionem. Ita ſolet remunerari Deus, & centuplâ largitione, obruere potiùs, quàm decorare largitorem ſuum. Imitare quiſquis es. ni reſponderit votis Deus, dic me mentiri. Verùm quid verbis opus? audi ipſum Deum vltroneum prouocatorem & ſponſorem:
Mat. 19. *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* credis? ſequere. non credis? negotiatori bonæ fidei credis, & cambiali illius ſchedulæ: Deo nõ credis?
Sed

Sed remotæ ſunt diuinæ ſponſiones, & vitæ non huius. falleris. audi loquentem. accipiet *centies tantum, nunc in tempore hoc, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Mar. 10. Repeto. credis? ſequere. nam quod hoc fœnus? Si ſpondeat homo viginti, ſi triginta, in ſingulos, aureos cētum, ſupra ſortem, arripis vtrâque manu; nec dubitas de euentu, ſi fide ille ſit integrâ. Si ſpondet Deus non viginti, non triginta, ſed in ſingulos aureos centum, hæres, trepidas, non credis. nam ſi crederes, negligeres lucrum? & decem millibus, centum millia mercari nolles? nolles tantillo cælum? Cùm ergo habeamus hîc Deum ſponſorem, qui mentiri, qui fallere neſciat, & habeamus hominem qui inuitantem, pollicentem non ſequatur Deum, habemus incredulum, habemus addubitantem de Dei ſponſione: ſequeretur enim ſi crederet, ſi nullo pulſaretur dubio; nec permitteret hæc lucra aut perire ſibi, aut aliò demigrare. quod dum facit, certum mihi non credere, & labaſcere apud eum fidem promiſſionis diuinæ.

At vos prudentiores, & de diuinâ certiores ſponſione, imitari largam illius manum conati eſtis, felici auſu, ſucceſſu feliciore. Cùm enim in omni Republicâ, ante-prouidâ Dei notione, ad peccatorum ſcelerumq; diſpunctionem, pauperes diuitibus permiſti; & his proſpexerit Deus diuite manu; illis prouidere veſtrum arbitrati eſtis.

feci-

feciſtis. Octo ergo vniuerſo apud vos paupérum ærario præſunt. priores quatuor ab eleëmoſynarum erogatione nomen ſortiti, poſteriores à Spiritus ſancti beneficâ largitione. anniſque ſingulis duo è ciuium potentiſſimis, planeque primis, opibus, induſtriâ, fide, moribus, deliguntur, qui oneris, quod in re tantâ, tam variâ occurrit, partem ferant, abeuntibus hoc quaſi magiſtratu retroſioribus duobus, qui quartum iam annum expleuerunt. Delectorum munus eſt, toto quo hanc functionem obeunt quadriennio, ſeriam pauperum totâ vrbe diſpertitorum curam gerere; nec pati quemquam ab egeſtate vinci, aut immori huic ineluctabili plurimùm malo. Sed & perpetuâ lege tenentur, nulli petenti eleëmoſynam negare, nullum indonatum dimittere, ciuis ille ſit an alius. Quod quo faciliùs certiuſque peragant, vrbe totâ oſtiatim templatimque ſubſidia pauperum ærario poſcunt. Rarum hoc in primis viris, & opulentiâ magnis, manum ad ſtipem porrigere. quam ſi liberalem cõſequuti fuerint, pari liberalitate partiuntur: ſin minùs, non ideò contractior dextera eſt. de ſuo numerant. adeoque hæc res creſcit, vt non raro, decem, duodecim, plura etiam aureorum millia è domeſtico ſinguli ærario profundant, redhabituri, ſi eleëmoſynæ patiantur, ſi egentium penuria: ſin minùs, qui in proximum ſurrogantur annum, abeuntibus de ſuo numerant

rant

rant, quidquid in egentes, priuato ære contulerunt: itque in annuum orbem hæc erogatio & redhibitio; tangitque quotquot ad hoc munus deliguntur.

Vt verò primùm adlecti ſunt, ſolenni receptoque maiorum ritu iureiurando ſe obſtringunt, bonâ ſe fide pauperum res curaturos, ſeriò inuigilaturos, remque omnem ſine fraude & dolo adminiſtraturos. Inde qui prior ſe obſtrinxit, deligit alterutram ciuitatis partem, quæ in duas propè pares diſpertita eſt; ſecunda alteri conceſſa. His deinde incumbit eleëmoſynarum in ſuis ſingulis partibus corrogatio, annique ſecundi adminiſtratoribus ope & conſilio adeſſe, collectamque pecuniam ad pauperum ærarium deferre.

Annum priorem vbi expleuerint, tranſeunt ad anni ſecundi munia: qualia ferè ſunt, primi quidem, ſi quæ teſtamento legata, ſi quæ gratuita, ac quaſi de manu, donatione, ſi quæ vicatim templatimque relata, vniuerſim potiùs quàm ſingulatim, in acceptorum rationes referre; ſingulatim verò in eaſdem, ſi quæ ex annuo cenſu redacta: frumenti deinde, lignorum, panni lanei, lineique, omniumque adeò quæ egeſtas poſcit curam gerere. Secundi verò, Expoſititiis ſeriò inuigilare. quos ſalutari antè aquâ tinctos, educandos in vicinam mittit Campiniam. Mille ferè hi ſunt, & plures; millia etiam interdum, non vrbis tantùm hu-

ius, ſed vicinorum locorum: qui vbi octauum, ſummùm decimum attigerint annum, educti è ruſticâ diſciplinâ, vrbicis aſſueſcunt moribus. ac puellæ quidem in deſignatam in hanc rem domum, pueri in ſuam; ita ſua ſexui domus ſeruit. in quibus Chriſtianè educantur, & mechanicæ alicui arti, pro cuiuſque ingenio, addicuntur: hærentque plurimùm in his ædibus, in decimum ſeptimum, aut ætatis annum decimum octauum. inde ad varia deſtinantur obſequia: illæ quidem omnem puellarem artem edoctæ, ancillatum, in honeſtam quampiam familiam: adoleſcentes vt aut de ſuo iam viuant, aut ſanè famulatum. manentque ſub eorum cura qui huic pauperum annuatim præſunt ærario, donec certo vitæ generi, bonâ patrum quos vocant veniâ, ſeſe addixerint. quorum ſi voluntate matrimonio ſe iunxerint, non patiuntur deeſſe dotem.

Sub exitum verò anni ſecundi, quotquot certis ædibus in commune, quotquot etiam per ſuas ſinguli diſperſi familias de publico viuunt, veſtibus donantur. & ingens hic numerus eſt, vt præter priores qui plurimi ſunt, excreſcat in octingentas aut plures familias.

Expletis annis duobus, nouus ſuccedit labor. & prior quidem in cathedrali Eccleſiâ, panibus hebdomadatim erogandis præeſt. cuius etiam curæ pars ſunt, euocati ex agris (quorum memini-

mus

mus) pueri, variaque egentium mulierum ac virorum receptacula, in quibus certis legibus, certaque in ſeptimanas ſingulas eleëmoſynâ contubernatim viuunt. Secundus idem per omnia obit in S. VValburgis, puellarumque (quarum mentionem feci) ſedulam curam gerit. Poſteriore anno, prior eadem peragit in Eccleſiâ D.Iacobi, ſecundus in eâ quæ D.Georgio dicata eſt.

In hac poſteriorum annorum adminiſtratione, ea in deſignatos variarum Eccleſiarum pauperes conferuntur, quæ varij, prout cuiuſque affectus traxit, variis Eccleſiis aut locis voluerunt eſſe perpetua. quibus à ſancto Spiritu nomen indiderunt. cùm enim omnis munificentia ab illius impulſu naſcatur, factum eſt, vt eos qui erogandis his præſunt, nominis quâdam ſimilitudine boneſtauerint, quos volebant tam pij donatiui erogatores.

Hactenus labor eluxit, & prudentiæ permixta liberalitas. accipite hanc nunc propiùs, ſed paucis: neque enim, de ſuo ornata, alienum cultum patitur. Corraſerunt priores quatuor, quà oſtiatim, quà templatim, ſuperioribus his annis ſingulis, florenorum ſexaginta, quin & ſeptuaginta, adeoque octoginta, pluraque etiam florenorum millia. Quid integrâ Republicâ ſperari poſſet, cũ hac proſtratâ, & quadraginta annorum ciuilium bellorum colliſionibus attritâ, populoque parte maximâ viduatâ, negotiatoribus deſtitutâ, com-

merciis nudatâ, nobilitate exhauſtâ, ingentia tamen videamus propenſæ in omnem munificentiam affectus documenta, in omnem meritò poſteritatem, Regnaque, quà Sol lucet, itura.

Addam: & finio hanc narrationem: eſſe in hac vrbe tria & triginta minimùm egentium domicilia, variorum liberalitate ciuium dotata. è quibus viginti quinque, eorum quos recenſui, imperio parent: aliorum verò quorumdam, reliqua.

Quæ dicta hactenus, tantùm tangunt liberalitatem in notos vrbe totâ pauperes, & qui de communi pauperum ærario non erubeſcunt, menſtrua, aut hebdomadaria, aut diurna etiam ſubſidia poſcere. quales parte longè maximâ ſunt, qui è vicinis, aut remotis etiam prouinciis, à paupertate, tamquam ab irato mari, in portum hunc excuſſi. nam qui hîc nati maioribus vrbis huius ciuibus, perquam raró ad hanc publicam inopiæ teſtationem deſcendunt. Ita ferè Brabanti omnes. à quibus, vitam antè egeſtas, quàm egeſtatis nomen & confeſſionem extorſerit. extrema pati, pane & aquâ vitam tolerare, noctes diebus in laboribus iungere, viri iuxtà ac mulieres, & tenera propè de ſinu proles, edocti. Vidimus ſæpè inualetudine graui fractos, animam quaſi egeſtatis indignantem, antè eiicere, quàm mendicabulam vocem: tam rigida illis ad ſtipem dextera, tam fortis ad perferenda animus, tam gene-

generoſum pectus, & quod antè ſanguine ſe ſatiet ſuo, quàm alienâ miſericordiâ. Plerique proinde qui hîc pauperes, aut è vicinis Prouinciis ad benignius hoc littus adnauigarunt; aut ſi hîc nati, talibus maioribus nati; è quibus, imbibitâ longo vſu ſoli huius verecundiâ animoque, plurimi viuunt teneriore ſupra maiores fronte: qui cùm rem poſſideant, & duriore reliquis premantur pauperie, paupertatis nomen perhorreſcant. Magna hîc horum copia, quorum frequenter erubeſcentiam vltroneâ beneficentiâ anteuertiſtis. ita non tantùm egeſtati, ſed & infirmitati occurritis; & interdum etiam fallere iuuat, vt & habeat egens, nec à quo acceperit ſciat: pulchro Arceſilai exemplo, qui egentis & diſſimulantis & ægri puluino ſacculum ſubiecit, vt homo verecundus inueniret potiùs quàm acciperet. Hoc eſt dare. nam illa lenta, & inter diuites manus pendentia beneficia, cùm ſubductis ſuperciliis, & vix exeuntibus verbis, ac malignis etiam interdum, munus datur, quam gratiam mereantur? Illa grata ſunt, & nomẽ merentur, quæ parata, quæ facilè occurrentia, & vbi nulla mora niſi ab accipientis verecundiâ. nam vbi magna intercedit deliberatio, negationi munificentia proxima eſt: adeoque, tardè velle, nolentis eſt; cùm omnis benignitas, ſi talis eſt, properet. Vt enim acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam; & miſericordiæ genus

 eſt,

eſt,citò occidere: ita maior beneficij gratia eſt, citò velle,citò dare;& beneficentiæ quoddam genus,citò negare. Iam hæc tarda quorumdam in dando deliberatio quid quærit? delectum fors in accipiente, vt diſpiciat in quem cum fructu conferat,aut in memorem,aut in relaturum. at magni animi eſt, non fructum beneficij ſequi, ſed ipſum; virtutemque adamare, ob innatam, non ob aſcititiam pulcritudinem: & generoſi, dati beneficij obliuiſci: ille decipi dignus eſt, qui de recipiendo cogitabat cùm daret. Sed indignus fortè erit cui præproperè donabis. quàm multi indigni ſunt luce,& tamē dies oritur, peræquante Deo beneficia ſua probis & improbis. non quòd ſine delectu ac fortuitò dari velim; ſed moroſam donatiui cunctationem non probo. adimit gratiæ plurimum,& extortam potiùs volūtatem, quàm vltroneam ſapit. Quid hæres? redibit ad te, ne dubita,quodcumque hilari promptoque exiit animo. Docuerunt id veteres non ineleganti ſymbolo: cùm tres Gratias, ſorores, manibus implexis, ridentes, iuuenes, virgines, ſolutâ & pellucidâ pinxerunt veſte. Sorores. vt enim hæ ſanguinis, ita qui dedit & accepit, beneficij nexu ac quâdam vinculatione ſororium induant animum; & qui dedit, ſibi dediſſe arbitretur. Manibus implexis. quòd beneficiorum ordo, per manum tranſeuntis, ad dantem tamen reuertatur. Ridentes.

vt

vt dantis vultus longiſſimè ab omni abſit moroſitate. Iuuenes. vt cùm deceat beneficij memoriam ſeneſcere, dantem tamen obliuiſci deceat; nec pati vt longâ apud ſe memoriâ conſeneſcat. Pellucidâ veſte. vt licet qui dat beneficia taceat, naturâ tamen ſe ſuâ prodant, erumpantque foras eo clariùs, & in oculis plurium, quo qui dedit fortiori illa preſſit cuſtodiâ. Qui ſi ſecum reputet, beatiſſimum eſſe, ac planè regium, imò Deo ſimillimum numquam vinci beneficiis; & illud, in beneficiis optimum eſſe, dediſſe; beneficium arbitrabitur poſſe dare. & tunc demum ſe beatum, cùm aliquid dederit; cùm imitatus Deum fuerit, qui ſemper dat, numquam accipit. Sunt ex hoc genere in hac Republicâ non pauci, qui in beneficiis hoc vnum metuunt, prodi. Beati ſuo hoc ſilentio, non prementur æterno. & vt aliam non ſperent mercedem, virtus ipſa magna ſibi merces eſt, & recti facti conſcientia. Et ſanè magnus in hac vrbe campus eſt, magnæ virtutis; in quâ, vti dixi, ingens pauperum numerus eſt, à variâ egeſtatis tamquam fluctuum iactatione ad hunc portum properantium. nec fallit eos concepta ſpes: vetus enim apud vos, & à maiorum memoriâ;

Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos
Vrbe, domo ſociare:

nullum hoſpitio prohibere arenæ, ſolique veſtri:

nullum

nullum quamuis egentem arcere terrâ. Pergite. Manet cælo promiſſa merces;

——officio nec vos certaſſe priores
Pœniteat,

cùm tam potentem remuneratorem, vltroneumque ſponſorem habeatis Deum, ignarum mētiri, dolique fraudiſque neſcium, centupli hîc redhibitorem, nec multo pòſt æternæ præmiationis certum largitorem.

Sermo. Fides in verbis.

SErmo candidus, & ad exemplar orationis ſuæ facere, & viuere, à primâ ætate docentur omnes. parci in verbis: nec ideò minus cogitant, edocti magnos viros remiſſiùs loqui; & quæcumque dicunt, plus habere fiduciæ quàm oſtentationis. Et eſt ſanè oratio, animi vultus; quę ſi multa eſt, & manufacta, oſtendit illum non ſatis eſſe ſuum, non ſincerum; & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile, vt concinnitas; ſic multiloquentia. Nihil proinde in veſtris præceps. quod ſemel emiſſum, numquam reuoces. vt enim in procliue labentes, non vbi voluerint gradum ſiſtunt; ſed quantum premit pondus, tantum feruntur: ſic prærupta dicendi celeritas, non eſt in poteſtate hominis; nec ſatis digna viro: qui ponere verba debet, non proiicere; ac inſtar vndæ ſuauiter, non torrentis more è præcipitio fluere. nihil etiam

etiam præproperum, cuius poſteà pœniteat: ſed præcogitata verba ſunt; & tamquam à maturo corde, calamo dictata. vbi dixerint, ſtat immota fides. Periclitantur opes? ſi fidem dederunt, nemo violabit: ita vel cum iacturâ, tenaciſſimæ fidei ſunt; vt cùm mori poſſint, fallere non poſſint. Nec quiſquam, integrâ famâ, datam fidem fallet. ſi fefellerit, nominis & fidei naufragium fecit. nec iam inter dignos Republicâ viros adnumeratur: mortuum arbitreris, & tamquam cadauer ab iratis fluctibus reiectum; aut tamquam fatali ſpongiâ è viuorum numero deletum. viuitque exinde inglorius in omnem ætatem, & tranſit etiam in poſteros hæc nota.

Animi robur.

RObur animi, quale vix in aliâ gente; diſcat quiſquis volet exemplo: neque enim aliter norit. nam fortia dicere multorum, facere paucorum eſt. neque vt quiſque robuſtior ſermone, ita & opere eſt: cùm ferè modeſtiſſimus, & verborum parciſſimus, ditiſſimus ſit operis. vt enim Gubernatoris artem non oſtendit tranquillum mare; exaſperatum ſit oportet, & quod in montes ſe attollat, frendeatque, frematque ſpumis inæſtuans, quod virum edoceat: ita aduerſum aliquid ſit neceſſum eſt, quod animum probet. Hunc animum inuictum, & in quo nullum for-

tuna locum reperiat, in quem telum mittat, ſi vſquam, hîc inueniet. Incurrant aduerſa, & premant pectus, tamquam ſaxeâ mole, vt totum arbitreris Atlantem, cum vniuerſi machinâ, vnius inſediſſe humeris; figet gradum, nec ingemiſcet ſub pondere: non ſubſident genua, non labابunt pedes: & quod de Socrate Xantippe, vtramque fortunam eodem vultu excipiet. hauſerint auari fluctus humanarum opum æmuli, aut acerbior alius caſus, ſtabit indignante fortunâ; nullâ enim re maior huic inuidia fit, quàm æquo animo. Hunc animum, in omni propè bonorum iacturâ, reperies erectum, excelſum, & flecti neſcium. Intuere: è nullius vultu aut ore iacturam agnoſces. imò quo grauior illa incubuit, eo hilariore vultu excepiſſe credas. nec foro nec publico abſtinent, ac ne conuiuiis quidem aut hilariore lubentiâ. Non hæc ſat magna documenta ſunt inuicti roboris? nam vnde certiora peti poſſunt? aduerſa ſunt quæ cuiuſque robur docent. hoc quis inter ſecunda intelliget? Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem dinoſcimus. interritus ille fluctibus conuoluitur, audacter hic cruorem ſuum ſpectat: ille etiam elementum prouocat, dum iratos illius fluctus proſcindit audax; & miles lætus fluentem meliore caſu ſanguinem oſtentat. at tiro, & qui nullas elementi vidit minas, ad omnes fluctus, ad vulneris palleſcit ſuſpicionem. Quò hæc?

hæc? vt robora attingam, animoſque plurimorum veſtrûm. Sæpiùs enim tacitus mecum Rempublicam circumſpexi hanc vniuerſam, in illaque ſingulos, omnes. Quantos in eâ vidi naufragos, ſimiliáve naufragiis paſſos; quos aut iratum mare, aut fortunæ ludus, aut maleuolentiæ improbitas, perniciosum optimis telum, inopinantes, ſecuroſque deiecit? Illos procella, (quæ cæli fiducia, & placidum ludentis elementi fallacia) traxit in infidos fluctus: alios rerum illa domina, aut ſubiti ſimilis fulminis, ad cuius ictum, etiam vicina tremuerunt, oppreſſit incautos; aut ridenti ſimilis, in alieno luſit iugulo; tamquam parum ſit perdidiſſe, niſi & inter luſum videri velit perdidiſſe: in poſtremis malignitas ſæuiit, & ſecuros, tamquam turbine, vno conuoluit raptu; vt antè ruinam ipſi ſtrati viderent, quàm perſentiſcerent: & tamen tamquam nihil paſſi, redeunt ad mare; & è quo vix validâ enatarunt claſſe, de tabulâ ſalutem ſperant: iterumque fortunæ ceruices flectunt, confidentiam imbibunt, & audent ſe credere, à quibus non ſemel circumuenti; meliora ſperantes, nec ſemper iratum mare, nec ſemper infidum fortunę riſum, nec ſemper perfidiã amici. O animos Spartâ dignos! imò Belgio: & ſi iterùm ſurgat Cæſar, Neruiis, & Aduaticis. *Macti virtute hac:* idem vobis, quod ex acie ſanguinolentis acclamo; quod Mutio retorridam manum, & duorum Regum

victricem referenti, Romana iuuentus. *Macti virtute hac.* malo truncam illam, quàm Mæcenatis, imò quàm cuiuſque fortiſſimi ſaluam. Benè in hanc rem Attalus Stoicus: Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in deliciis habeat. torqueor, ſed fortiter, benè eſt: occidor, ſed fortiter, benè eſt. Sed & audi Epicurum, dicet, Et dulce eſt. Hæc mens ducet ad gloriam, imò ad gloriæ culmẽ, cultorem ſuum. Facit hoc creber vſus, & cum aduerſis pugna. Idem reperies in iumentis. quamlibet viam patiuntur, quorum durata inter aſpera vngula eſt: neque vllum laborem recuſant manus quæ ad arma ab aratro transferuntur. ita planè, quem nulla fortuna ſupplantauit, cuius nulli dentes ſub infido illius crepuerunt ludo, quid poterit? & quid non poterit, cui perpetua cum illâ lucta? qui modò proſtratus, modò erectus, de genu, de puluere, de vulnere, de ſanguine ſurrexit validior? Millia ex hoc genere in hac vrbe dabo. nam quem illa hîc vmquam tranſiit intactum? gloria hæc eſt Reipublicæ veſtræ. & ferè contumaciſſima aggreditur; mollia nullo dignatur morſu: ita ignauiſſimum quemque refugit, fortiſſimos ſibi pares quærit. tenera faſtidio tranſit; duriſſima proritat; aduerſus quæ vim ſuam intẽdat. ignem experitur in Laurentio, paupertatem in Franciſco, exilium in Ioanne, tormenta in Vincentio, venenum in Benedicto. Magnum exemplum non niſi magna for-

fortuna non inuenit. apud vos, in quemcumque propè cadat, inueniſſe videtur, vt liceat dicere: Dignum fortunâ par, Reipublicæ ciuis, illi compoſitus.

Et neſcio an non hoc ſit vrbi huic proprium: aliarum enim ſi intuearis ciues, vnius calamitate omnes arbitreris oppreſſos, vt quos ruina non attigit, metus exanimauerit; paremq́ue paſſis mœrorem exprimant, cùm putent eadem ſe pati poſſe. Vt aues, etiam inanis fundæ ſonus territat, & excutit ſedibus: ita plerique, auſim propè, non nati, non educati in Republicâ hac, ad nudum non modò contremiſcunt ictum, ſed ad vacuum ſonum. at qui ex hac prodierunt, tamquam ſi omnia miſſilia præuiſa, nihilq́ue præter opinionem cadat, ita cadunt in fortuitis, vt ſemper ſtetiſſe videantur: ita reparant claſſem, repetunt maria, vt nemo credat vidiſſe fluctus: ita cum diſcriminibus pelagi non notitia modò, & familiaritas, ſed pacti quædam neceſſitudo interceſſiſſe videtur, vt quos nudos excuſſit, reſtituat ſub diuitiarum pondere fatiſcentes. Infida fuit ſocietas? iterùm creditis: & tamen quem alibi non exanimet vna perfidia? Per iocum fortuna euertit? iterùm blandienti oſcula præbetis: & quem alium non ſternat hic riſus? quis non alibi ſecedat ab his ludis, & det raptori locum, ſeceſſionemq́ue æternùm cogitet, meliora deſperans; & non emi-

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

nus ſpectet hæc bona pendentia, procul nimirum à Ioue, procul à fulmine ? Cauſſam non ſemel diſcriminis huius inter Reipublicæ veſtræ ciues, alioſque, tacitus mecum quærebam : nec aliam reperio,niſi quòd reliqui,extrà ſe vallo cinxerunt; veſtri intus inſtructi ſint:pulſari proinde poſſunt, capi non poſſunt; cùm nullum mare, fortuna nulla, perfidia nulla, mentem aduerſus fortuita armatam, poſſit euertere.

Addam aliud,mirari me ſolitum,ita pleroſque aduerſus fortuita, & quidem ſæuiſſima,armatos, vt plurimos viderim eodem vultu læta, eodem triſtia accepiſſe. Tenuit nauis portum ? benè eſt. periit ? mirare quiſquis hæc leges,nulli periit. intuere vultus. non dico, non refrigeſcent artus,ſed nuſquam contractior frons,nuſquam rugæ. ſcrutare cui perierint: nullum reperies. alteri periiſſe credas: huic cui periit, etiam acceſſiſſe;ea frontis oriſque hilaritas eſt:quaſi in alienâ pelle,ferro medicus ſæuierit. commiſerare : paraſſe ſe hominem dicet ad hæc humana. Præcogitati nimirum mali mollis ictus venit. & ſanè pars magna mali apud imperitos nouitas eſt, & inexſpectata compulſio. Nō poſſunt hæc venire à vili pectore.nec quiſquã iſta,puſillâ mente, ſiccis oculis, ex alto ſpectauit. Quid faceret vera Philoſophia in Virtutis acie, apud eos, quos tantos animos circumferre videmus inter fortunæ hæc tela? Miramur feras, quas catu-

catulorum amor mittit in venabula; miramur iuuenilia quædam ingenia,quæ gloriæ cupido trahit in contemptum ferri: ibi amor facit indomitas;hîc ſpecies & virtutis quædam vmbra traxit in ſanguinem.quid in Reipublicæ veſtræ ciuibus veræ virtutis poſſet amor,quos nec magna, nec illuſtria, per pericula & mortes compulerunt tamquam ad epulas fames? quanta darent exempla magnarum documenta mentium, ſi in nobiliorem metam curſum defixiſſent? quanto namque generoſiorum rerum fortior ratio eſt, ac validior impulſiua vis, tanto valentiùs per pericula & mortes exirent: nunc cùm eadem faciunt in re non magnâ, quid ſperare debeamus in verè magnis,teſtantur. & quos tanta cum incommodis ſuis familiaritas, docuit tam erectâ ceruice intueri alternantis fortunæ vices,quid faceret,ſi eadem in propiorem virtuti materiam incidiſſet?non vbi ſemel obduraſſet animus,antè auferri,quàm conturbari contingeret? quid pugni, calces, flagra, cæſtus, quid enſes poſſent? ſanguinem ipſum fluentem riderent, tergerentq́ue tamquam à balneis ſudorem.Semel namque roboratus animus, & è Virtutis palæſtrâ toroſus,quos nō ictus exciperet; quos non frangeret? etiam vltrò auderet prouocare, & inſequi cedentem fortunam; quin & inclamare, Quid ceſſas? paratum pectus vides. experiamur inuicem, tu feriendo, ego feren-

ferendo. quærit enim Virtus vbi ſe oſtentet,

Spumantemq́ dari pecora inter inertia votis
Optat aprũ, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Refellitur criminatio de occupatâ ab Iberis vrbe, anno M. D. LXXVI.

ALiquis hîc ſibi de alienâ venuſtus calumniâ, militarem obiectat rapinam, & inter micantes gladios, flammas, ſanguinem, ſtragemque impulſæ ciuitatis, fractum animum. O ſemper inimica alienis progreſſibus inuidia! quanto prudentiùs hæc ferocientis fortunæ vulnera, & adhuc de cicatrice recentia, ac quaſi de ferro calentia, quiſquis eſt, preſſiſſet ſilentio? Poſſem hîc illud Poëtæ:

— In corpore fortium virorum
Laus eſt amplior, amplior cicatrix.

poſſem, quod Ariſtides, cùm ad ſupplicium raperetur, repertuſque eſſet qui in faciem inſpueret, cùm neminem id arbitratus eſſet auſurum puri oris, abſtergere; & lectori dicere, Admone iſtum, ne tam improbè oſcitet; ipſique hoc reſpõſo contumeliæ contumeliam facere. Verùm tacebo: & hæc lapſantis fortunæ dehoneſtamenta tacitus præteribo. nam quid ego aduerſus has immemores humanæ conditionis voces, dictaque improuida, præteriti temporis fortuita conuulnerantia? Dicam tamen, quod de viro magno Seneca: Si magnus

Digitized by Google

magnus cecidit, magnus iacuit. addam: ſurrexit maior. idem de vrbe hac. tantùm in hac ſtrage, omnis fortunæ crudelitas laſſata conſiſtat. hoc oro. ſitque militaris hęc licentia, nihil ampliùs doliturę ciuitatis piamentum. Et non pari iure Carthaginis ac Numantiæ, Corinthi, Athenarum, Spartæque, & tot Regnorum cinerem, aut quidquid altiùs cecidit, ridebit? Inſpice, quiſquis es, volubilem hunc rerum ordinem, totamque ante oculos ſortis humanæ conditionem pone, ſæuumque hæc inter fortunæ ludum. hîc montes diffluunt, alibi rupes; iam ſorbet, iam vomit fortuna maria; modò ſiſtit, auertit dehinc flumina, & ditat nouis. Quot vrbes vno tempore ceciderunt; quot hiatibus ſubductæ? quot non vno loco integræ deſederunt regiones? quot redditę terris, totis demerſæ ſæculis? Et non omnium orbe toto magnarum ciuitatum veſtigia tempus eradet? non formidanda olim maria ſiccabit, ipſaſque rupes ad humilem deducet arenam, decoctor ignis? noſque ipſi, parua aliquando ingentis vltimæ ruinæ acceſſio, non in amica vertemur elementa? iacebimuſque inglorij, terra & vilis puluis?

In plenum dehinc fortunam cogita, circumfer oculos: quot gentes populoſque mutaſſe credis ſedes? Tyrij Africam incolunt, Longobardi Italiam, Hiſpaniam Gothi, Athenienſes Aſiam, Angliam Germani, Galli Græciam; & Scythia

O Achaiæ

Achaiæ ciuitates Ponticis impoſitas littoribus oſtentat. Nihil eodem aut loco aut ſtatu manſit, quo genitum eſt. Regna intuere, Imperia, orbeq́ue toto Prouincias. illæ te docebunt: plurimarumq́ue in his vrbium oſtēdet euentus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt. Nec magnis hæc interuallis diſiuncta: momentum ſæpè temporis euertendo imperio ſuffecit; etiam Romano, ne me putes minima tangere.

Verùm Antuerpia hoſtili aliquando manu iacuit: non nego. & in mediâ propè pace iacuit: ita ferè inſperatò bella ſurgunt, hoſtis ex ſocio, ex propugnatore euerſor. Eadem reperies alibi. nam & in ſubitas tempeſtates agitur æſtiua tranquillitas, & rurſum ſerenitas, rurſumq́ue nubilum. Quid cauſſas quæris? cùm ipſa ſibi, vt alia taceam, felicitas, cladis cauſſas repererit; vt ad hanc ſatis videatur eſſe, fuiſſe felicem. Iam quantum intereſt, ab hoſte perierit, an operta fluctibus, an hauſta terræ motu? aut quæ res demum non habuit aliquam ruinæ ſuæ cauſſam? quæcumque hæc fuerit, ſatis eſt fuiſſe. Interfuerit etiam dies vna, an plures, inter vrbem maximam & nullam; quantulum hoc eſt, aut quod ſolamen prorogati ſpatij, protenſæ miſeriæ, cùm venerit dies illa conſumtrix omnium? Quid ergo nouum, cùm ipſa adeò naturæ opera videamus vexari, tolli, & ſtatui, montes, terras, maria, ſi vnius vrbis ſenſerimus,

non

non dicam excidium,ſed deuenuſtationem,tamquam vnius arboris ſpolium, in fecundiorem redhibitionem? Nam de Antuerpiâ hac veſtrâ auſim illud Poëtæ:

—Tua nempe putantur
Surgere fata malis; & celſior eſſe ruina.

cecidiſſe itaque videri poteſt, vt ſurgeret altiùs. Ita non raró maiori fortunæ locum fecit iniuria; vt ideò quædam periiſſe videri poſſint, quò cultiora enaſcerentur. Accidit hoc vrbi huic veſtræ. ſurrexit,& erexit ſe ſuper ruinâ ſuâ, florentior: vt arbitrari meritò poſſis, ignem illum viſcerum depaſtorem, conſultò ſæuiiſſe; vt vbi caſæ erant, ſurgerent cælo domus, inuidiam facturæ Principum palatiis.

Verùm percelluit illa ruina plurimos, & etiamnum inhæret fibris, nullâ ætate emedullanda. Poſſem ad hæc ignaua pectora, humanarumque ignara rerum, illud Poëtarum principis:

—Cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies, variúſque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.

imò in maiore, in ſplendidiore. res docet: illa loquatur. Neque fugit hoc Regnorum & Rerumpublicarum Timones. hinc illud Timagenis Vrbis inimici: Romæ ſibi incendia ob hoc dolori

 eſſe,

eſſe, quòd ſciret meliora reſurrectura, quàm arſiſſent. Idem credo eueniſſe Reipublicæ huius hoſtibus. Et verò maiora certioraque reſtituta ſunt: ſint tantùm diuturna, & melioribus in omne æuum auſpiciis condita. ſin minùs, & aliud volet imperium ex alto, hoc ſtatuamus: nihil fortunæ inauſum; aduerſus Romam non minùs habere iuris quàm aduerſus Cannas. in eum enim intrauimus mundum, in quo his legibus viuendum eſt. Placet? pare. diſplicet? alium mundum quære.

Sed hæc maiora cadent? etiam Imperia totis exciſa ſedibus iacebũt. etiam viri Principes? æquè ac pauperes. aut aliquis homines ſceptro metitur & purpurâ? Si impares viuimus, pares tamen naſcimur, morimur pares. hoc volo: Conditor ille generis humani, non natalibus nos, niſi dum ſumus, diſtinxit: vbi ad finem ventum eſt, omnium quæ terra premit, ſimilis lex eſto, ſi corpora metiaris. Nam de animo, & alterâ meliore redanimatione, aliud iudicium eſto. neque tamen in hac vlla prærogatiua purpuræ: ſoli virtuti erit. Hanc amplectamur: reliqua vt peritura, & ad matricem puluerem ſuum reditura, deſpiciamus; cùm omnium mortalium opera, mortalitati ſciamus damnata, nec quemquam in craſtinum ſui eſſe certiorem, non Regem, non ſeruum. ad patienda nimirum pares, ſed & ad ſecunda melioraque

que imperia pares, ſi virtute pares fuerimus; quâ ſolâ,largitur,metiturq; Deus æterna tura præmia.

Iam ſi obiectæ criminationis robur propiùs intueamur,quid magnum fuit à veterano milite, & in viginti propè annorum ciuilium bellorum incude roborato, inopinantes ciues, ſecuroſq; vt in altâ pace,circumueniri ? & ſteterunt tamen, inermeſque armatos , quantum in illâ fortunâ licuit, maioribus animis quàm armis,ſuſceperunt. Paſſi ex hinc ea ſunt in pace, quæ ne bello quidem timeri poterant. quid damnas? Ignauus nauigij rector eſt, qui fluctuantia vela deſeruit, permiſitque tempeſtati nauem: at ille etiam in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem, & nudo latere fluctibus obnitentem : cuique mors ſola gubernacula eripuit; ac ne eripuit quidem: auſus antè gubernaculo innatare, & illo iam vehi tamquam naui. Idem hîc cogita, mori antè ciues delegerunt, ruereque in hoſtile ferrum,quàm deſerere ſtationem. Quid damnas? quòd ſenſerunt? quòd magni vulneris magnam cicatricem , ne nunc quidem tranſeant ſine præteriti temporis memoriâ? non eſt hominis non ſentire mala ſua. (neque indolentiam bonum dixero , habet illam cicada, habet pulex; vt nec moleſtiâ carere bonum , quid otioſius verme ?) tulerunt tamen illa, quod viri eſt. Quid? hoſtis armatus, veteranus miles, ciuili paſtus ſanguine, ferrum in manu,

mors in iugulo; & non ſentiet exarmatus ciuis, vrbicis nutritus commodis, flammis circumſecus cinctus? Exclames fortè:

Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.
quis animas nullo monitore ruentes in ferrum, quæ has vibrata tela, quæ arietata inter ſe arma agminis denſi, terreant; quas non vrbis impulſæ fragor, non vitalia depaſcens incendium, non coniugum, liberorum, non carorum cædes, è ſtatione deiecerat? Temeritati hoc aliquis aſſcribat. errat. ſi prouocaſſent inermes armatas veteranorum iras, poterant damnari; at declinauerant quâ tunc licuit prudentiâ, non minùs quàm in nauigando procellam. Ille temerarius audit, qui cùm declinare poſſet, contrà it, & contemnit potentiores minas; qui exaſperat imparibus armis; qui dum licet, nocituram non vitat potentiam. At quæ euenerunt vrbi huic, inopinata fuerunt omnia, & quæ nec præuidere quidem humanum fuit. aliter itaque res cecidit, quàm vereri quiſquam poſſet: nec licuit felicem ſemper curſum tenere; fateor. nec ideò tamen aut victi ciues, aut ſubacta Reſpublica. Nemo enim illũ victum dicet, qui corpore licet proſtratus, animis tamẽ ſtetit. Ita CCC. Fabios nemo victos dicet: & Regulum captum à Pœnis, nemo victum dicet. Quiſquis proinde ſæuientis fortunæ vi ac pondere oppreſſus, non ſubmittit animum, numquam ex vero victus dici poteſt;

nobi-

nobiliſſimâ ac principe parte ſui erectus, licet deteriore iaceat.

At ſeruire tot ciuilium bellorum ſanguine madido, durum. neſcis quâ ætate Hecuba ſeruire cœperit, quâ Crœſus, quâ Dionyſius, quâ Darij mater, quâ Plato? quâ ſeruatus alius, vt

Orbata ad Tomyris veniret vtrem?

quo ſi recentiora cogitas, quamque funeſto perierunt exitu Orientis Imperatores, Valens ignibus, Zeno vxoris perfidiâ, Baſiliſcus cum liberis ferro, Anaſtaſius fulmine, Heracleon exilio, Conſtans ſuorum gladiis, Nicephorus Bulgarorum iaculis? quàm funeſto Occidentis? Henricus inediâ, & quidem à patre, Fredericus Numantici Scipionis exitu, & à filio; Lucius caueâ ferreâ, Conradus veneno, & à fratre; vltimuſque Sueuici ſanguinis carnificis manu? Sed neque ego hunc ſeruire dicam, cui animus liber eſt. aut quiſquam Epictetum ſeruiſſe dicet in tam excelsâ animi libertate; in tanto cupiditatum omnium dominatu? non magis quàm Calliſtratũ & Rutilium exules. huius digna Romano vox eſt; Malo patria exilio meo erubeſcat, quàm reditu doleat. Non eſt hoc exilium, cuius neminem non magis quàm damnatum pudet; & ſanè quicumq; talis eſt, patriam ſibi, etiam vltima terrarum ſtatuet. ita qui corpore ſeruit, ſi animo perſtat, nec libidini, abdomini, crudelitati, inuidiæ, ambitioni, pecuniæ ſeruit, liber

liber eſt. cùm contrà qui his ſeruit, licet familiam alat regnis maiorem, licet ædificia inhabitet laxitate vrbes vincentia, licet arctet claſſibus maria, milite Græciam, equite Germaniam, licet vtroque ſubacto orbe ignota quærat maria, orbem alium, cælumque aliud, ſeruus erit. aut quis Alexandrum liberum arbitrabitur cùm in littore maris rubri pedem figit? cùm claſſibus in oceano errat, bellaq; per ignota captat maria? cùm extra naturæ terminos arma profert? cùm inexploratum profundum cæcâ ſcrutatur auiditate? non ille cupiditati imperioſiſſimæ in his dominæ colla ſubmiſerat; nõ ſub infami illius iugo ceruices flexerat? quo modo ergo liber erat, quem inſana cupiditas in nouos agebat orbes? quẽ, cùm vix ſeptem aliquando expleret vrnam pedum, nullæ expleplebant terræ? Ego hunc liberum dixero qui tam fatuis ſeruit? quem tot intus compulſari video motibus, tamquam in piſtrino flagellis, quot ardere video non ſaturandis votis? aut non illum potiùs liberum, qui corpore quamuis duram patiatur ſeruitutem, animo tamen erectus, innatæ memor libertatis, nihil aut indole ſuâ, aut homine indignum committit; ſed antè animam ponit, ſanguinem fundit, quàm à vero rectoque vel latum crinem decedat? Hanc libertatem animumque apud vos repperi, quam nec mors raperet, non foculus Porſenæ, non buſtuaria altaria, non Dio-

Diomedæa præſepia, non taurus Siculus, nō mortaria tyranni; non ſerpens, ſitis, arenę Catonis. Pergite hac libertate, nomen, admirationem, cælum promereri: hac enim vnâ vendicarunt ſe in libertatem, quotquot olim nati cælo, à ſeruitute omnium maximâ. hac vnâ contra fortunam luctata Virtus, etiam citra effectum propoſiti operis, enituit, claruitque Sole maior.

Militare robur.

QVamquam ſi arma velis, ſi obnitentes fortiter animos, ſi quos non vlla iniecta mouerunt

Tela, nec aduerſo glomerati ex agmine Galli,

hîc reperies. neque vllis magis nota eſt Reipublicæ huius virtus, nullis quid dextra, quid tela poſſint, quid viuida bello virtus: ita duritia ſilicis nulli magis quàm ferientibus nota. Memini diei illius, cùm validiſſimo obſeſſi exercitu, intraq; mœnia præproperâ victoriâ elatum vidiſſetis hoſtem, quem foueratis, admiſeratis amicum. Cuius animus non concideret inter arma, inermi dexterâ? verùm vt quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt; vt ſaxa tot ſæculorum verberata fluctibus, nec veſtigia ſæuitiæ oſtentant; aſſiliant, impetum illi faciant, ferendo hæc vincunt, franguntque percuſſorem ſuum: ita leui ciuium ma-

nũ,leui repercuſſu, ingentem exercitum fudiſtis. Fuit hîc verum:

——Hortamina fortes
Praueniunt, timidiſq́; etiam breuis addita virtus.

Non tangam hæc pluribus. poſſem; & naturale eſt manum ſæpiùs ad id referre quod dolet, aut quod pruritu ſuo exaſperatũ prouocat in contactum. at ego tacebo. Quòd ſi tamen robori huic,animiſque, virtutum etiam in hoſte admiratrix contigiſſet antiquitas; quanto ingeniorum certamine, viueret ille dies, quem vrbi fatalem hoſtes deſignarant? At melior cauſſa, meliorem fortunam reperit: & viros hîc eſſe ſenſit, quos non minæ,non ferrum terreat. cùm armati, tam inſperato animorum robore fracti, attonitique, citatiore gradu portas repeterent quàm intrarant; vt arbitreris in hanc diem ceciniſſe Vatem:

——Impediunt numero, ſeq́; ipſa viciſſim
Arma premunt; nec vis conatibus vlla, ſed ipſa
In ſocias errare manus, & corpora turbâ
Inuoluit prolapſa ſuâ.

Poſſem etiam nunc oſtentare campum hoſtili

——qui ſanguine pinguis
Spirat adhuc;

poſſem ſuffixa portæ anathemata. Verùm ſilentio inuictæ Reipublicæ veſtræ magnitudinem, non verborum cultu venerabor.

Secundũ exemplũ militaris roboris M.D.XCV

Succedit alterum teſtatiſſimi roboris animique docu-

documentum, cùm inſonat triſtis auribus nũtius:

Hoſtis habet muros, ruit alto culmine

Lira, tot ætatum opus. & iam

— vix primi prælia tentant

Portarum vigiles.

Quid ageret Aduatico generoſum germen ſanguine? incitabat vetus gloria, rei indignitas, hoſtilis auſus; magna exercendæ virtutis incitamenta, vbi in virum inciderint. impellebat Patriæ ſalus, Prouinciæ vaſtitas, diuinorum contemptus; ingẽs audacis alicuius auſus irritamentum. inde tamen loci diſtantia, vrbs ſubacta, veteranus miles, equitatus hoſtilis, quem non terruiſſent? Verùm quæ mortalium pleriſque metum, ea vobis ad virtutem calcar. ergo expedire lubet arma. & obuia quæque prout fors dederat arrepta: etiam de viciniâ aliqua mutuata. Neque deerant qui diſſuaderent: ita ferè ſubita, inertia ſternunt pectora; quæ certam ſeruitutem præeligant dubiæ libertati, quæque inter vincula malint vitam, ſequẽtes

— timida compendia vitæ,

quàm vltimum *— decus addere morti.*

at vos immemores ſanguinis vitæque (generoſæ mentis eſt obliuiſci ſui, vbi Patria in diſcrimen vocatur)

Sagitta qualis Parthicâ velox manu

Excuſſa fertur,

ſic quò Patriæ vocat ſalus properatis alacres. dul-

ce nimirum pro hac cadere,

—— pulchrumq́ mori ſuccurrit in armis;

—— vitamq́ impendere famæ.

tamq́ue citatus fuit curſus, tam ſine morâ interruptus, vt antè in conſpectu captæ vrbis eſſetis, quàm plerique patriam vos vrbem reliquiſſe ſcirent. ita orbata tygris, excuſſura raptori catulum, ſuperuolat veriùs, quàm ſuperueniat. Et ventum erat ad portas, cùm crudelis vbique

Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Verùm eo vos audentiores, animiſq́ue ab ipſo diſcrimine ſumptis, per tela, per hoſtes itis in amicam vrbem. nec mora, cedit Aduaticis armis Battauus: & ille tot bellorum miles, tot annorum veteranus, toties ciuili lotus ſanguine, ad primum clamorem veſtrum (ô ſemper timidum ſcelus!) circumſpectat effugij loca. pars mœnia, citatiore quàm venerat curſu, petit. pars turpi concuſſa formidine, abdit ſe tectis. Ita eâdem propè horâ, quâ victorem ſe viderat, victum ſe ſenſit Battauus; atque adeò in ipsâ victoriâ victum. ſic quo luſere nauigia loco, ſorbentur. Quis hîc triumphos neget, Vrbis receptæ, hoſtis cæſi? Vincebat hic numero, equite, pedite, graui armaturâ, velite: vincebat quinque & viginti annorum militiâ, alternante tot annis fortunâ, vario ſemper euentu, læta ac triſtia: perq́ue ſecunda & aſpera, indurauerat corpora animoſq́ue: vincebat recenti victoriâ.

Vos

Vos pauci,ſed meliore cauſsâ,dilecta Deo,deuota Patriæ phalanx, nullo equitatu firmati, obuiis, prout cuique,in tantâ trepidatione, fors obuenerant,armis inſtructi,veteranum militem, totque annorum bellatorem, Vidiſtis, Viciſtis. Quis mihi hîc calamũ parem animis,fortunâ parem? Plures aliquando Luculleia menſa vidit conuiuas,quàm vos pugnæ victoriæque ſocios. Vidimus euntes, redeuntes. quæ non oſcula matres, coniugeſque, tam felicibus votiuiſque pro Republicâ imprimant labris? quæ non ciues reliqui fortunatiſſimis dextris? imò quis non collectum Liranis puluerem campis tergat oſculis? non hoſtili pingue ferrum ſanguine detergat gaudens? non dentata hebetatorum cæde gladiorum latera pernumeret lætus? non libatum Patriæ ſudorem, ſuper nectar & ambroſiam bibat alacer? Beatam diem, quâ omnis ætas, ordo, ſexus, excepit reduces victores! Non hîc, ſi veteres non pudeat ſequi, ſpument annuatim Falerno gemmæ? non cryſtallis caleant vnguenta glacialibus? non cinnamomo ac thure, cœnationes ſpargant peregrinos naribus odores; & madeſcentes nardo capillos, circumfuſa florum ſerta ſiccent? non omnes denique Charites, reuertente in orbe felici hoc die, ſingulos, auro gemmiſque ſacratos Patrię vertices coronent? aut quam hîc gratiam floris, quam prætermittant frondis lætitiam, non alicui capiti deuotam? imò

non ipſi adeò generoſi agminis calcati greſſibus, neglectâ frumentariâ ſobole,

— violam, cytiſum, ſerpilla, liguſtrum,
Lilia, narciſſos, caſiam, colocaſia, caltham,
Coſtum, malobathrũ, myrthos, opobalſama, thura
Parturiant campi,

vt perpetuo teſtentur flore, perpetuaturos orbe triumphos? Exurge vbicumque es doctior manus, & in obſcuro ſilentij receſſu deliteſcentia inuictarum trophæa mentium, artifice publica calamo. quàm diu marceſces in hoc pingui victoriarum campo? exurge melioribus auſis; non

Verborum violis multicoloribus:
Nam cantu & modulis luxuriantibus
Laſciuire vetat maſcula dictio;

qualem maſcula ſibi virtus, iure ſuo, vendicat: nimirum tamquam Brontis Steropiſque malleo & incude chalybiam: quà mihi, quà orbi, quà æternitati, virtutum diſculpta ſquamis pectora, extritaſque pugnaci calle dexteras perennaturas oſtentet.

Hæreſeos nota deterſa.

Alius neſcio quis
Prodit hirritu rabiem canino:
parumque memor humanarum viciſſitudinum, hæreſim obiicit; & ab auorum fide, nongentis & quod excurrit annis firmatâ, deſciuiſſe incla-

inclamat. ô voces!

—— abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnaq́ꝫ patet via lubrica plaga,

& hunc delectat exaſperare; non & nouare hæc vulnera, hanc feram ſcabiem, VVittembergicâ, & Gebennicâ affrictam contagione? neque enim diffiteor ab his Aquilonibus afflatam & Belgis vniuerſis, & vrbi huic, non contemnendam malignitatem. Vt enim indomitum niuibus & Alpibus, eneruarunt fomenta Campaniæ; vitiiſque victus eſt, qui vicerat Alpes: ita quos tot ſæculorum conſenſus vnus, tamquam inenodabili conſtrinxerat vinculo, enodarunt, & euincularũt per conuiuia & vina licentiæ voces, & nocituræ libertatis pollicitationes: quæ non ignobilem partem, latronum more dum amplexantur, ſtrangulant. hinc prece, inde pretio, alibi minis, quin & ſponſionibus forinſecus melleis, ſoloq́ue promiſſorio verbo grauidis, inuoluunt ignaros in illud profundum contemptæ religionis. quoſdam ex inſidiis, per importuna interualla, improuidos, ex occaſionibus aſſiliunt: moleſtum oppugnationis genus, cùm neque tamquam in bello paratos eſſe liceat, neque tamquam in pace ſecuros: hinc non tam robore, quàm aſſiduitate fatigati, manus dederunt. Defluxit exinde hic turbo per vniuerſas propè Belgicas Prouincias; nec ſumma papauerum tantùm, ſed & reliqua malignitatis ſuæ flatu ambuſ-

ambuſſit. Hìc illud profundum fuit nobiliſſimarum Prouinciarum, alternis infidiſque reciprocum æſtibus, quibus, modò ſubitis alleuatæ incrementis, modò maioribus depreſſę damnis, aſſiduè iactatæ, nuſquam quadraginta his annis ſtabili ſteterunt loco: alteræ in alteras illiſæ, & naufragium non ſemel paſſæ, nauigarunt infidum hoc mare, ventis ludibrium. ô quando portum? fallor? an iam video? Huius naufragij pars aliqua ciuitas hæc: fateor: at pars magna proſperioris curſus, fidentioris ſtationis eſt, noſſe quæ ſigna anteambulæ dent nubes; quis locus vorticibus infamis: vt remediationis pars magna, agnouiſſe morbum eſt.

Verùm quò tu, quiſquis hunc accuſas næuum in pulcherrimo hoc corpore? papulas obſeruas alienas, ipſe vulneribus obſitus: verrucas rides, cùm te effera ſcabies depaſcatur. ô ſemper æmula virtuti inuidia! quid ſi hìc mores, ſi vitam, ſi reliqua tua ſpectanda proponam,

Quàm timeo victus ne pœnas exigat Aiax,
Vt malè defenſus?

Et cur non potiùs ſelegiſti magna, melior iam apis, & tot ſæculorum conſtantem fidem, quàm deterior araneus vix paucorum annorum fluctus, tamquam venena, à vicino mari? quid ſeptem annorum iactatione damnas tot ætatum fidiſſimum fidei portum, tutam ſtationem? quid inno-

innocentiam maximæ partis, ſcelere paucorum? cur non flagitia paucorum, virtutibus excuſas integiſque plurimorum? nam quæ hæc improbitas, tot ætatum, tot capitum virtutem, paucorum vitiorum criminationibus ſordidare? Nocturna quædam animalia, ad primum ſolis ortum ſtupent, & latibula paſſim petunt, timida lucis; ita ingenia praua, & ſolis nata tenebris, probitatis auerſantur radios, inimica luminis: ergo obſcura quæque venantur, in quibus infelicem linguam tamquam domeſtico paſcant pabulo. Verùm inſtent, commordeant, citiùs frangent dentes, quàm imprimant. nam quid hîc volunt? noctem immittere æternæ huic vrbi? erratis infelices animæ. nam & ſolis vis magna eſt etiam inter oppoſita: & quamuis aliquid non raro interiaceat, quod prohibeat eius aſpectu, curſu tamen ſuo fertur; neque quia inter nubila luxit, ſereno minor eſt. Idem audeo de hac vrbe. oppoſita nihil detraxerunt, intercurrentia nihil ademerunt: minùs tamen inter hæc fulſit, non nego. at more ſolis obſcuri, & à ſubterlabente nube tenebrati, vim ſuam exercuit. Hoc itaque potuit aduerſus hanc hæreſis, quod aduerſus ſolem nebula: tenebras nimirum interuomuit; nec omnibus tamen: nobiliori namque parti luxit. euenitque quod nauigantibus: licet enim in eodem elemento, non omnes tamen naufragium patiũtur, ac ne iactationem quidem.

imò,nec oborta tempeſtas quantumuis ſæua, pari atrocitate ſæuiit in omnes: quoſdam namq; vexit molliùs, rapuit quoſdam vehementiùs; alios prope littus depoſuit tamquam in tutelæ ſubſidium, multos in altum vectos depreſſit. ita hoc animorum profundum, paribus licet fluctibus, impari tamē ſucceſſu ſæuiit in varios. hos totis obruit vndis; alios deſtituit fluctibus, quos aut irreſpirabili pòſt demergeret vado, aut inextricabili impactos illideret arenæ, aut inenatabili committeret Neptuno; quoſdam etiam leui, nec vltrà, exciperet aſpergine, tamquam rore tinctos vberiore. quorum pars longè maxima, lucente ſidere proſperiore, poſitiſque ventis fluctibuſque, rediit ad ſaniora, ad portum aliquando ſecundiore curſu deducenda per ſecunda ſolatia periclitaturæ fidei à Domino poſita; inter ſcopulos & ſinus, inter vada & hæreſeos freta velificata, eo nunc tutior quo cautior, ſecurior quò ſe ſenſerat nimis infido concreditam elemento, & quo propiùs viderat omnem hunc nouitium curſum de incertâ ſtatione eſſe. Ita omnis nupera ſtructura minùs firma, ventiſque iniuriiſque obnoxia, non raro ingenti vnâque ruinâ, dominum familiamque ſepeliuit. contrà, nullo incurſu loco mouetur, quam ætas roborauit, & mora ipſa durauit in ſaxum: incurrant venti, admurmurēt, in ſe plus quàm in illam ſæuient, valido repercuſſu irritum conatum dedocti.

docti. qui ſi in mollem cedentemque materiam incidiſſent, damna dediſſent. De materiâ ergo habet profundum hoc omne, tempeſtaſque indiuiduo illi nexu iuncta, ſi quid poteſt. hoc dico: De infirmitatibus omnis hæreſis habet quòd valeat; nihil valitura, ſi in benè valentem fidem incurrerit. Quid ergo miramur de quibuſdam ab hæreſi captis? leuis fidei, palea leuis eſt, quocumque afflatu raptatur: & tenuis ſcintilla depaſcitur quantumuis ingentem ſtruem.

Verùm antè eadem nobiſcum tenuerunt. ita arbitror. Sed quid mirum, probatum antè, poſteà excidiſſe? Saul bonus, Ieroboam, pluresque alij, liuore & ambitione poſteà euerſi. & quàm multi iam inde ab Apoſtolorum temporibus, in hæreſim, fidem demutarunt? neque ideò fides non bona. alioqui & vites damnabis, & terrã, mariaque, & quidquid fecundo vtrumque ſinu mortalibus profudit; cùm innumeri perierint, malignè iis vtentes, quæ poterant eſſe (non & debebant?) in medelam, in ſalutem. Et quis prudens ædificabitur in ruinam ob degeneres quoſdam veritatis animos? Quòd ſi quis fuerit, qui nouitia hæc recenſque nata ſequi maluerit, quàm noſtra tot ætatum prærogatiuâ firmata; num hoc fidem labefactabit, tantis comprobationibus teſtatam? quin adeò purior eo frumenti maſſa in horrea Domini reponetur, quo tentationis

huius vanno plus paleæ excuſſum fuerit.

Et licet graue fuerit tot capita à veteri maiorum fide excidiſſe, maius tamen fuit, poſt nouercales ſemitas, rediſſe ad matrem; poſt licentiæ pabulum, ad reſtrictiora paſcua; poſt libertatis ſteriles auenas, ad fecundum Domini frumentum; poſt guſtata nouitia mella, ad veterem diſciplinam ſeueriorem; deniq; poſt viam perditionis floridam, latam, ad cæli anguſtam, vepribus ſentibuſque obſitam. Grauis hæc videri poſſet non cogitanti æterna, non cogitanti hanc vitam nihil eſſe niſi æternæ ſtillicidium. at ſi mentem cogitationeſque, ab huius vitæ ludicris, ad alterius ſeria conuerterit; facilè ſe, moreſque ſuos, ad veterem regulam componet, certus non poſſe labi tot ſæculorum robore ſtipatam.

Faceſſat proinde calũnia. nec tam quid factum aliquando, quàm quid nunc fiat, ſerij indagatores circumſpiciant; nec probis damnandos miſceant, memores etiam Magnum Auguſtinum à Manichæis ad noſtros tranſiſſe. Quòd ſi porrò conuitiari pergant, quid reponam? nolo contumeliam contumeliâ repercutere. quid ergo? credã? poſſet fors aliquis, niſi videret illos è patibulo ſpectatores ſuos conſpuentes. ô inuida proſperioris ſucceſſus æmulatio! Nam vt faciles errorem agnoſcamus, quid ſperant? quid ſi occinam illud Ariſtotelis; Nullũ magnum ingeniũ ſine mixturâ dementiæ:

Nam

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur.
addamque vix vllum olim ſine vitio placuiſſe ingenium. Da enim mihi quemcumque vis magni nominis virum; dicam, quid illi ætas ſua ignouerit, quid in illo ſciens diſſimulauerit. Iam quę orbe toto dignitas eſt, cuius non prætextam comitentur mille maculæ? quod regnum, cui non paratus eſt ſuus contemptus, cui non æmula proculcatio? nullis propè hæc interuallis diuiſa ſunt. horæ ſæpè momētum intereſt inter triumphos & dedecorationes; inter candorem & næuū; ac non rarò inter ſolium & aliena genua. Seianus vtriuſq; fortunæ exemplum erit: quem quo die frequens Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit: & in quem cùm, quidquid congeri poterat, Imperator contuliſſet, nihil ſuperfuit quod carnifex traheret. magnum alternantis fortunæ documentum. Quod huic aliquando, non cuiuis euenire poteſt? Nemo proinde rideat, cùm paribus ſubiaceat. nemo iacentem etiam inimici fortunam contemnat, cùm nullus tam potens fuerit, cui non in potentiæ ſuæ vertice paratus fuerit dominus & carnifex: nemo ingenio adeò ſublimi, cui nō inerrauerit ſua labes. Imò quæ vmquam exultatio fuit etiam in fortunatiſſimo ſucceſſu; etiam in latiſſimâ gaudij materiâ, tamquam oceano, cui non innatauerit aliqua querimonia, tamquam ſæuior fluctus, aut

Digitized by Google

reiectitia ſpuma? aut vbi tam purus fortunæ riſus, cui non ſubeſſet moroſior rictus? demum, quæ vſquam lætitia, etiam inſperata, cui non adhæreret aliquid mœroris, coniugatione quâdam mellis & fellis? vbi nimirum vber, ibi tuber.

Quamquam ſi non perpetuo Veritas ſilentio inuoluenda, pleraque hæreſeos Antuerpię capita, defluxiſſe comperiemus è Galliâ, Germaniâ, Angliâ; aut adnauigaſſe ex viciniâ, tamquam adiacentium Prouinciarum vomitu in hunc portum excuſſa. pauca verò raraque hîc nata. nec capita tantùm, ſed & quæ comitata eſt turba improuidâ ſequelâ: cùm non minima pars huius, nec quid ſequeretur ſciret; neque nupera hæc dogmata, de ſolâ nouitate imperitorum oculos aureſque percutientia, extra nudum nomen noſſet: vt non tam ſecuta ductores, quàm turbine quodam inuoluta, tamquam valido palea vento, cenſeri debeat. Huius rei manifeſtum habes indicium. vt primùm enim illuxit ſidus certius, & retecta Veritas retexit fucum, diſcuſſit nubem, & potentiore radio denubilauit cælum, reddiditque ſubductum ſolem; damnatâ temerariâ ſequelâ, fatuoque cæcoque delectu, ad veterem, ſæculorum robore firmatam, fidam carinis ſtationem ſe recepit, certior iam de ſalute.

Exurgit tertius, & ad retroſiora criminationem conuertit: anniqueſexageſimi ſexti vrentem tur-

binem

binem obiectat. Habet is hîc fatentem reum. at paucorum hæc inſolentia fuit. Et quid magnum dormientibus Belgis in ſimplicitate doctrinæ (noxia ſemper nimia ſecuritas fuit) fructificaſſe auenas Lutheranorum? quibus fecundiore ſucceſſu Caluinianæ, Mennonianæque ſuperſeminatæ, excuſſerunt latiſſimè ſemina, etiam in vrbe hac. quæ cùm ſperarentur poſſe ſuffocari, irritus conatus omnis recidit: nimis enim densè ſuperſeminata, ſuccreuerant cum frumento: pars etiam ſubdolâ latebat viuacitate, tamquam conſepulta terræ, vt poſtmodum erumperet eò potentiùs, quo morâ temporiſque ductu plus collegiſſet nocituri roboris. ac erupit tandem, ſimpliceſque plurimùm (quæ maior ferè credentium pars eſt) traxit in ruinam. Neque deerant, licet pauci (quales ferè poſt ſpolia racemi) in profundo illo Belgico ſomno, qui ex alto proſpicientes, præmonerent, tempeſtatem imminere, quæ non multò pòſt, ruptura nubem ſuam, grauia damna daret. ſed cùm rari denuntiatores eſſent, & credula nimis fidensque ſui ſecuritas, bona ſperaret quæ amabat, mala nôn timeret quæ auerſabatur, nec putaret euenire poſſe quæ nolebat; ſecuta ſunt, quæ

—— animus meminiſſe horret, luctuq́; refugit,

ſiue cædes refugâ memoriâ repetam, Belgicumque pingue ſolum ſanguine, ſiue nobiliſſimæ retrò

trò Prouinciæ vaſtitatem. Tamen ſi vetera ſpectem, nihil eſt quod meritò quis miretur. à primordio namque Religio vim patitur. qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre; quo procliuiùs impietas alienum ſanguinem inſectaretur, à ſuo auſpicata: Helias fugatur, Ieremias lapidatur, Iſaias ſecatur, ipſe Legis clauſula, in puellæ ſaltatricis lucar trucidatur. Eadem reperies omni ætate. quanti Cæſariano gladio ceciderunt? quanti aggeres campique Chriſtiano fatiſcentes ſanguine, flumina retrò egerunt? quàm multi diſperſi, palabundi, cælique ſolique ſui extorres, in alias alio calentes ſole terras eiecti? vt nihil hîc nouum, ſi ætate noſtrâ, poſt tot ſæculorum altam in vnâ Religione pacem, inſurrexiſſe ſenſerimus diabolum, qui Belgas à cultu veræ religionis auerteret, inanibus pollicitationibus, libertate præmio. At verò perſecutio illius, gloria eſt noſtra. Veniet tempus, cùm omnis hic conatus nullo impellente corruet, cùm eradicabuntur omnes ſuperſeminatæ agro Dominico zizaniæ: ſi quò minus, die ſuo colligentur omnes adulteræ fruges, & cum ceteris ſcandalis igni inextinguibili cremabuntur.

Non addam plura, ſi Deum precatus fuero, vt irretitos his aduerſarij fallaciis, inſidiiſque circumuentos, requirat per montes & ſaltus, & humeris reportet ad ouile verum, ouile ſuum. Et quid-

quidquid error vetus inquinauerat, quidquid ignorantia contaminauerat,*id omne pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui ſancto paret, quò ſe ille cum cæleſtibus donis libens inſerat*. Hæc eſt enim virtus illa, quæ ſola fluctibus merſos vitæ reddet, & in portum diuinæ clementiæ protelabit: vt quicumq; antè nō niſi ſine vitâ truncus, arbor exinde fiat, *quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructum agit; quæ non ignem, non ſecurim videbit*. Hæc vota mea: & illis fuſa qui etiamnū fluctibus colluctantur. Scio non multos inter hæc mœnia reperiri: &, ſi vniuerſam Rempublicam ſpectem, vnguem eſſe, ac ne vnguem quidem; crinem eſſe, ac vix benè comati, & de capillitio luxuriantis capitis crinem. quidquid eſt, & quantulacumque hæc res eſt, deterſo omni venerario afflatu, relictâ adulterante ſemitâ, ſpurioque vbere, in viam redeant, ad germana matris vbera; nihil aliud ſitientia quàm leuari in ſalutem, quàm lactare in medelam. Hæc vota mea. & vt hoc naufragio ſemel erepti, exinde repudium fluctibus dicant: & Dei beneficium, ſalutem ſcilicet ſuam, periculi memoriâ honorent. Hîc namque animis opus, cùm nuſquam, numquam ſæuiat hoſtis magis, quàm cùm prædam ſentit faucibus ſuis ereptam: accenditur namque plurimùm, dum extinguitur; dum tot in homine mortis opera diruta,

Tertull. de Pœnitentiâ.

R tot

tot videt damnationis titulos eraſos, in quot illum antè fidei naufragia, errorum flabris impulerat: itaque obſeruat, obſidet, oppugnat, ſi quà poſſit mentem ſemel ſuam nouâ dubitatione concutere, aut ludentibus irretire illecebris. neque vſ-
1.Pet.5. quam deficit, qui iuxta Euangelium, *tamquam*
Luc.11. *leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe*, vbi inuenit domum *ſcopis mundatam & ornatam.* Verùm non ſtatim linquendus animus. inſurgant licet
4.Reg.6. aduerſaria agmina, fortior eſt Deus, & *plures nobiſcum ſunt quàm cum illis*. Pigeat proinde rurſus peccare, rurſus huic ſe profundo credere. ſin quid adhæſerit ab hoc inimico afflatu, non pigeat pœnitere: & cùm pigeat iterùm periclitari, non pigeat iterùm liberari. neminem enim pudere debet iteratæ valetudinis, ſi quæ inualetudo ſe miſcuit. iteranda ſcilicet medicina eſt, in recrudeſcētiâ morbi. Nec differamus de die in diem, pudoris magis quàm ſalutis memores. ita quidam parum prudentes cùm conſcientiam medentium rubore vitant, cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt: & cùm non erubuerint peccare, reformidant prodactæ ſaluti reformari: ad delinquendum frontem expandentes, ad deprecandum ſubducentes. Infelix verecundia! quæ, cùm non erubuerit vindicem Dei oculum, erubeſcit humanum. In ſæculi dignitatibus, quantis non rarò cum contumeliis, enituntur

tur varij in cauſsâ votorum ſuorum? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris alicuius perſonę, imò & inferioris, decreſcentes? idque totum pro volaticâ quâpiam, & fors breui dominum ſuum luſurâ dignitate: nos in æternitatis periculo dubitabimus aliquid tolerare; & periturum ruborem veremur, quo æterno remediamur? quamquam plerique hîc omnes, damnatâ nociturâ erubeſcentiâ, ſecunda à Domino poſita ſolatia magnis amplexi ſint animis, eo nunc ſecuriores, quo clariùs vident in quantis fluctibus improuidi dormiuerint, tamquam in altâ malaciâ.

Pietas, & in Deum cultus.

ET ſanè, qui veterem anni ſexageſimi ſexti turbinem, quique nouam hanc Reipublicæ faciem intuetur, perfacilè videt, quantis mutuò diſſideāt interuallis. Aberat, fateor, à veteri, ſubiti & ætate noſtrâ exorti naufragij metus: ſed inerat torpor animis, & diuinorum quidam neglectus, perpetuaque cæleſtium ſomnolentia; vt tamquam vi quâdam ſoporati Stygiâ, madidique Lethęo rore, laxatis quaquà iacerent artubus, in altiſſimâ quiete, & de quibus meritò poſſet intentari illud Euangelij: *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*. At nunc ignauo depulſo ſo- *Apoc. 3.*

R 2 pore

pore vigent, vigiliq́ue curâ perennaturis intendunt animos. tantoq́ue paſſim accurſu, & templa petunt orationum ad Deum ſacraria, & altaria cingunt Summi Numinis repoſitoria, & Sacramentis muniuntur, cæleſti in his rore ſitientes animas reſtinguentes in vitam, vt nemo hîc iam Heſperiam, Iberiamq́ue deſideret: audeo: nemo non totâ iam Heſperiâ, Iberiâ totâ, Antuerpiam deſideret. Intuere, ſiue ad populum verba facientes de ſublimiore Eccleſiaſtas loco, millia reperies auditorum, nobiliq́ue ingentiq́ue ſemper coronâ doctorem ſuum cinctum: ſiue altaria fecundo Dominico corpore grauida, cæleſtiq́ue, vt ita dicam, igne fumantia; omni omnino die, Domino aut Diuorum cuicumque ſacro, millia videbis cæleſti potentiq́ue paſtos epulo. De quo audet Chryſoſtomus: *Tamquam leones ignem ſpirantes ab illâ menſâ recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & caritatem quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem aliis ſæpè filios tradunt alendos; ego autem, inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono; vos omnes generoſos eſſe volens, & bonas vobis prætendens de futuris exſpectationes: quippe qui vobis hîc meipſum trado, multo magis in futuro. Volui frater eſſe veſter, carnem propter vos & ſanguinem aſſumpſi: vobis viciſſim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado.* Magna dignatio! & alibi:

Homil. 61. ad pop. Antioch.

alibi: *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſâ fruaris. quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus Christi corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Felix coadunatio! digna Deo potatio, cibatio!

Homil. 60. ad pop. Antiochi.

Quòd ſi ad Pietatis reliqua oculos circumtuleris, ſpirantia ſingula ac redolentia Deum reperies. ipſaque adeò Templa, ad inuidiam & exemplum gentium omnium, nobiliſſimis orbe toto picturis variegata, omniq́ue ornatus genere diuite opulentata voto, quid aliud quàm inhabitantem Deum teſtantur, animoſq́ue ſalutis, Summiq́ue Numinis ſitientiſſimos; tamquam in præteritæ obliuionis & torporis anathema; tamquam in futuri temporis teſtatiſſimam fiduciam, ſpemq́ue nuſquam fruſtrandam? Macti animis. viuite felices tantâ ſolidę Pietatis prærogatiuâ orbi noſcibiles. Nulla hanc lingua, nullus tenebrabit calamus. erumpant licet nocituræ viperæ, inſidientur calcaneo noxiis venenis, Pietas vna eſt, quæ detenebrabit diſcuſſâ quacumque nebulâ diem; quæ

euenenabit omnem venenantis linguæ ſibilum. Secura iam, quia innixa dilecto ſuo, ſponſa ſponſo: à cuius labris medicamina, tamquam à lacteo puer vbere, ſugat in medelam; à cuius pectore, tamquam à perennaturo fonte, ſitim reſtinguat in labantium laterum roboramentum; à cuius diſciplinatu, prudentiam hauriat in ſecretionem boni à malo, falſi à vero, doloſi à ſincero, ac in omnis improbitatis fugam, omnis ſanctimoniæ ſequelam. ita voueo. eueniant hæc tantùm ſecundo Numine. addatque ad reliqua beneficentiæ ſuæ Deus, vt quicumque Antuerpiam vidit antè infidâ nauigantem naui, excuſſo clauo, diſſciſſis rudentibus, diſiectâ puppi, colliſâ prorâ, ſciſſo velo, retorto malo, deraſis lateribus, totaque Neptunum aluo admittentem, laxiſque quaquà compagibus inimicum imbrem accipientem, ventorum & fluctuum ludibrium; nunc videat æratâ prorâ puppique ſulcantem maria; foris, tranſtris, pluteiſque & tabulato validè firmato; duriſque coſtis tamquam è chalybe procuſis, ridentibus ſæuientis elementi minas: inde gubernacula tamquam ætnęis cuſa fornacibus: hinc ſuppara velorum, carbaſeoſque ſinus, ſuperbo ludentes vertice: pronam denique felicia petentem maria, apertoque ſecundoque decurrentem pelago, dominumque diuite beantem portu. Ita faciat facilis ad vota Deus, Diuaque Dei mater: quæ in hoc ingenti laudum

Digitized by Google

dum oceano, ignarum loci,

Ignarumq́ue via, noſtros miſerata labores,

piis iam olim ſuorum precibus aſſueta vocari, ad optatum deduxit portum. cui ego, cui vos omnes,

MATRI OPTIMÆ,

PATRONÆ POTENTISSIMÆ

DOMINÆ BENIGNISSIMÆ,

REGINÆ MVNIFICENTISSIMÆ,

quid referetis? aut quem in Vrbe hac veſtrâ locum ſtatuetis?

PRIMVM, SVMMVM, AVGVSTISSIMVM, adeoq́ue

In medio mihi DIVA *locum templumq́ue tenebit.*
Illi ego detonſa foliis ornatus oliuæ
Dona feram. iam nunc ſolemneis ducere pompas

ad delubrum illius iuuat: cuius

In foribus pugnam ex auro ſolidoq́ue elephanto
Liranam faciam, victorumq́ue arma Quiritum:
Et ſimul vndantem bello, magnumq́ue fluentem
Scaldim, ac nauali ſurgentes ære columnas.
Mœnibus his addam Gallum pulſumq́ue Batauum.
Atque hinc rapta manu diuerſo ex hoſte tropæa,
Biſq́ue triumphatas vario de littore gentes.
——Feſtoſq́ue dies de nomine ponam

Victricis noſtræ: cuius poſt Deum fortunatiſſimis auſpiciis, quidquid in vrbe hac magnum, ſtetit; ſtabitq́ue æternùm. Ita voueo, & finio peren-

perennaturo Belgico & Aduatico monumento,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſsit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

BELGIVM orbis ANNVLVS,
ANNVLIQVE huius GEMMA
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis OCVLVS,
OCVLIQVE huius PVPVLA
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis NEMVS,
NEMORISQ. huius LAVRVS
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis PARADISVS,
PARADISIQ. huius DELICIAE
ANT VERPIA.
BELGIVM orbis CAELVM,
CAELIQ. huius SOL
ANTVERPIA.

O ſal-

Digitized by Google

O ſalue amica Tellus; vrbium VRBS, DOMINA, REGINA. Te Medus, Te vterque Indus, Afer, Nabathæus, Arabs; Te primi ſideribus, terris vltimi; Te Moſchus, Perſa, Tartarus; Te potens Mogor; Te latè Ottomannus imperans; Te quidquid vbique eſt, Britannus, Iber, Gallus, Italuſque,

Compoſitis venerantur armis.

O ſit in ęternâ veneratio PACE! vt pulſis inanibus diffidentiæ flabris, fidâ veteriq́ue Belgicâ fruamur malaciâ. Nimis, ah, nimiùm conſanguineo innatauimus ſanguini, ęmulorum ludus Imperiorum. ô quoties illa nos refugo labiliq́ue veſtigio, Tantalicoq́ue fugitiuo luſit attactu? Olim ille

Ter conatus erat collo dare brachia circum;
Ter fruſtrà comprenſa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucriq́; ſimillima ſomno.

at nos tot annis quoties fruſtrati ſumus? Veniſti tandem ô ſperata SALVS. atque ô toto ſi veniſſes corpore! quid dimidias beatitatem? cur ſolam porrigis dexteram, amplexus negas? necdúmne cruoris fuſum ſatis, agris atquè Neptuno ſuper?

Quis non Batauo ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia prœlia
Teſtatur, auditumq́; Regnis
Belgiacæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Battaua

S *Non*

Non decolorauere cædes?

Quæ caret ora cruore noſtro?

Satis, ô ſatis aduerſariarum partium reſtinximus ſitim, ſi ſatiari ſitis ſanguine potuit. Quòd ſi necdum æmula exſatiata libido eſt, mutuò aliquando experiantur, quantum animis ferroque valeant: nec in alieno iugulo vires oſtentent ſuas. Nimis in hoc Belgico pectore quadraginta ſolidis amphitheatratum eſt annis. ſuccedant aſperis molliora, tempus monet; & alias inambulet ferrum cædeſque terras, ſi incruentus non poteſt hic orbis ſtare. Nos interim tot annorum hianti vulneri cicatricem obducamus. quamquicumque crudelis & imperitus reſerauerit chirurgus, næ ille hoſtis Patriæ æternùm audiat. Nam quid reliquum crudelitas fecit, niſi fortè vt ex inimicorum voto, ſuâ Belgium & *Vrbs hæc periret dexterâ.* Auerte infauſtas diri ominis imprecationes qui potes

DEVS,

MISERATOR DEVS,

BENIGNE DEVS.

& diuiſa hæc (ô tandem!) iunge æterno nexu.

ANNVE MAGNE DEVS.

Digitized by Google

ET *heu! labantes iam nimiùm diu*
Vires iacenti ſuffice BELGICÆ,
Paciſq́ diſrupta lacertos
Marmoreis ſocia catenis.
Obtuſa noſtris tela cruoribus
Nondum expiatis tabida cædibus
Auerte in immanes Gelonos,
In Scythicas, Arabáſve turmas.
Diffinge mitis lugubre Noricâ
Incude ferrum: diffluat æneus
Æruginantis horror æui,
Mollicie melioris auri.
Dictator audi Maxime Cælitum,
Mundiq́ præſes, ô DEVS! *ô tua*
Tutela BELGICÆ *fidelis,*
Anchoraq́ auxiliiq́ pignus.
Jam longa fluxit temporis orbita
Patrum Beata neſcia Copia,
Notata, prô dolor! pudendi
Stigmatibus facibuſq́ belli.
Antiqua narrant ſæcula poſteris
Aui trementes; & pariter ſtupet
Ignota, iam fermè ſeniles
Poſteritas aditura rugas.
Neſcit, quod æuum, quæ pia tempora,
Sibi parentum canities ferat;
Cruore ciuili madentes
Semper agros rubuiſſe credens.

Neſcit, quid alma dulcia fœdera
Tulère Pacis; priſca quid otia
Dedère Sæclo; quid beata,
Sanguineo ſine Marte, luces.
Heu Clara quondam Belgica! Belgica
Sæclis Auorum! Quò decus hoc tuum
Ploranda fluxit, vt iacentes
Vix oculos tua turba norit?
Deuota mæſti ſanguinis indoles!
Semper paterno deterior gradu!
Quot, heu! virorum buſta, ſtrages,
Funera quot tulimus! quot enſes!
ANTVERPA *prodi, ô decus vrbium!*
Sententiarum flebilium memor:
ANTVERPA, *dic, peplo nigrantem*
Mæſtifico redimita frontem:
Scaldim gementi vidimus æquore
Claſsis vehentem luctifera rates;
Enſeſq; thoracaſq; & haſtas
Sanguineis natitare lymphis.
Sed quid recenti prælia murmure
Bellata canto? ſpirat adhuc furor,
Tepentq; ſtagnanti cruore
Purpurei, prope littus, agri.
Lallis puellæ ſomniferis canunt
Iam nota puſis prælia bimulis,
Ciuemq; muris proruentem,
Armaq; magnanimaſq; turmas.

Canit

Canit viator laſſus, amabili
Fuſus ſub umbrâ: Nautaq́ torpidus
Tranſtro recumbens; cantat, aptans
Aequoreus populator hamos.
O mœſta diræ munera gloriæ!
O Belgica! ô trux Belgica! tot malis
Ditata cladium exterarum
Totq́ virûm celebrata buſtis!
Quocumque vertor: Funera, funera,
Ducumq́ cerno ſtrata cadauera;
Et æſtuantes turbulentâ
Sanguinis eluuie plateas.
Aduerte mites, ô DEVS! *ô* PATER!
Huc, teſtor, aures; & miſeris modum
Tandem ruinis pone clemens,
Et facie meliore fulge.
Iam ſat, cruentâ fulmina dexterâ,
O ſat, vibraſti! templaq́ Candidæ
PACIS, *reluctanteſq́ habenas*
Horriſono iaculatus igne.
Exoſa tandem prælia matribus
Sagumq́ dirâ lugubre Purpurâ
Togæ perennantis nitore
Et viridi benè verte palmâ.
Audi vocantes, OPTIME, MAXIME;
Ceſſet flagellis dextra rubentibus;
Iam Belgicus ſat arſit orbis,
Iuſtitiâ iaculante flammas:

Caliginoſis nubibus emicat
Aurora Pacis, aura fauentior
Induciarum, nube pulsâ
Da ſtabilem nitidumq́; ſolem.
Audi vocantes; Pax iterùm Redux
Nectens catenis vincla adamantinis,
Pax fida, Pax æterna, firmet
Indociles animos teneri.
Et redde Pacem; redde vocantibus
Secura Belgis Otia; Fœdera
Æterna redde: ſat parentum
Crimina poſteritas piauit.
Exulcerata vulnera Belgica
Tegat cicatrix, nullaq́; Gratiam
Diffindat ira, nulla clauſum
Lis valeat reſerare Ianum.
Olim rebelles, ô pudor! ô probrum!
Fraterna Belgæ prælia geſſimus:
Quamquam ô! ſed obductam paueſco
Vngue malo refricare plagam.
Quæ credet ætas arboris vnius
Pugnaſſe ramos? Matris & vnius
Euiſcerata membra tabo
Sacrilegos maculaſſe natos?
Numquam gemelli dentibus aſperis
Luctantur apri; nec catuli lupæ
Turgente pendentes ab aluo
Vbera vulneribus cruentant:

Cadmæa

Cadmæa fratrum progenies, agris
Belga paternis, vulnere mutuo,
Immane! proſtrati iacebunt,
Auſi iterùm renouare Thebas?
Belga furentes Oedipodis face
Materna diris ilia morſibus,
Heu! lancinabunt? ſtabit enſis
In patria iugulo cruentus?
Quæ dira Belgas, quæ furialibus
Flammis Enyo præcipites agit?
Tot inclyti, inuictiq; Belgæ
Indecores pereant duello?
Tot BALDVINI *puluere patrio,*
Tot GOTTEFREDI *turpiter occidant,*
Dum rixa ciuileis pudendo
Fulmine deglomerat procellas?
O flenda virtus! ſi ſibi diſcrepat
Ingens poteſtas; ſi ſtomacho caput,
Si faucibus pedes rebellant,
Roma tuis moriere cunis.
Fruſtrà laborat rumpere viribus
Implexa vinctis ſpicula ſpiculis
Heres Sciluri; diſſipatas
Marte leui minuet ſagittas.
Res parua creſcit, ſi ſociabili
Subit catenam fœdere; pertinax
Teſtudo, ſcutis ſcuta denſans,
Depluit imbricibus molares.

Inſanientem fluctibus Adriam
Compacta ridet teda celocibus:
Vis magna nullo iuncta nodo
Pondere ſub proprio fatiſcit;
Sic vinculi expers mole ruet ſuâ,
Suiſq; ſidet Belgica viribus:
O illa formidata quondam
Solimanis, pauidoq; Turca.
O illa quondam Belgica, barbaris,
BOVLLONE PRINCEPS, *te duce, matribus*
Abominata, te ſuperbas
In Solymis referente palmas.
O illa rurſum ſcilicet omnibus
Timenda regnis, ſi melior DEVS
AMORE *manſuram* FIDELI
Annueret ſociare PACEM.
Collecta quid non efficiet manus?
Conſentientis COPVLA BELGICÆ
Terrebit orbem, fœderatos
Diſcet Arabs Tanaíſque Belgas.
Diſcétque tandem perfidus Ottoman
Jmmanis, exlex, & fidei & Dei
Iuratus hoſtis, quanta Belgis
Marte ſacro benè nexa virtus.
Vna eſt futura pignus adorea
OSTENDA *Flandris Troia, tot Hectorum*
Tot Neſtorum commune buſtum,
Scylla viris, opibus Charybdis.

Oſten-

Oſtendâ belli meta Batauici,
Tu ſola nummos, robora, machinas
Belgáſque concordes domandis
Sufficeres Aſiæ tyrannis.
Ite, ite Belgæ; iungite dexteras,
Vires, Viróſque iungite, ſupplices
Oſtentat Idumæa palmas,
Magne redi GODEFRIDE, *clamans.*
Heu! terra CHRISTI *ſanguine perlita,*
Nati, renati conſcia numinis,
Subacta, collo fert ſuperbos
Impoſitis pedibus tyrannos.
Captiua CRVX *eſt quæ pretium dedit*
Orbis redempti; preſſa iugo graui
IVDÆA LIBERTATIS ARA
Barbaricas patitur catenas.
Hæc digna Belgis gloria, Belgica
Si digna magnis Poſteritas auis,
Vt vincla, Caudináſque furcas
Solimano domito reponant.
ANVERSA *quantos tunc daret hoſtium*
Victrix aceruos, ſtragibus aggerans
Campos rubentes, LIBERATÆ
Prima ferens titulum IVDÆÆ?
ANVERSA *Belgis celſior omnibus,*
Iurata quondam VINCERE VEL MORI,
Heroas inſcripſit ſacrato
Prima Crucem titulans maniplo.

ANVER-

ANVERSA *opimis tunc ſpolijs Ducum*
Diues, trophæi marmora Gallici
Oblita, Liranamq́ quercum,
MAGNE DEVS! *foribus dicaret*
In MARIANIS, *arma cadentibus*
Erepta Turcis, Loraq́ curruum
Arcuſq́, Peltaſq́ AEVITERNÆ
Digna DEO *monumenta* PACIS.

ERRATA.

Pag.	lin.		lege
23.	9.	auſaque	auſuſque
34.	21.	matem	matrem
36.	12.	Xeuxis	Zeuxis
49.	1.	ſuperet	ſaperet
56.	1. & *alibi*	Anthleæ	Antliæ
59.	1.	ſalientes	ſalientem
67.	24.	Pihium	Pighium
77.	12.	at	ac

LABORE ET CONSTANTIA

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Η ΠΡΩΤΟΓΕΝΕΙΑ
ΚΑΙ
ΕΠΙΣΤΡΕΦΟΜΕΝΗ
ΤΥΧΗ
ΤΗΣ ΑΝΒΕΡΣΗΣ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ὦ Πότνια Πάρθνε, μᾶτερ
Ἀμετέρα, λίσομαι,
Τὰν πολυξέναν ἐν
Ἱερομηνίᾳ ἵκεο, Σέ-
θεν ὄπα μαιόμεθα.

ὍΝπερ τρόπον οἱ τὰ δ' ἀγάλματα διαπλάττοντες, πᾶν τὸ παρ' ἑκάστοις καλὸν συναγαγόντες, κατὰ τὴν τέχνην ἐκ διαφόρων σωμάτων ἀθροίσαντες, εἰς μίμησιν μίαν, κάλλος ἓν ὑγιὲς, καὶ ἄρτιον, καὶ ἡρμοσμένον αὐτὸ αὐτῷ ἐξεργάζουσι· τὸν δ' αὐτὸν τρόπον τὴν Ἄνβερσαν κατὰ τὸ ἀκριβέστατον, καὶ χρειωδέστατον (οὐ ψιλῷ λόγῳ ὡς τὴν τοῦ Πλάτωνος) ὁ θεὸς καὶ φύσις ᾤκισεν.

Ὡς ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
Πέτρης ἐκχύμεναι σιμβληΐδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἑρσήεις γάνυται· ταὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτε τ' ἄλλον
Καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι.

οὕτως Ἀγλαοπολισματουργοτέχνη τὰ λοιπαῖς τῶν τῆς οἰκουμένης πόλεων νεμηθέντα δρέψασα, σωρόντε συναγαγοῦσα, τὴν Ἄνβερσαν, γῆς ἄγαλμα, νυμφῶν καὶ χαρίτων ὕφασμα παρεῖχε· τὰ γὰρ παρ' ἑκάσταις ἀξιοθέατα, ἢ ἀξιοπηγητότατα, ταύτῃ δαψιλῶς ἐχορηγήσατο, ὡς, ἃ περὶ πολυθρυλλήτων τῆς οἰκουμένης πόλεων πανηγυρίσαντες πάλαι διῆλθον, γνωριεῖ· ὄνομα γὰρ ἀντὶ ὀνόματος ἀμείψαντας, περὶ τῆς Ἀνβέρσης λόγους ποιῆσαι, αὐτογνωμήσεις. Συμβέβηκεν γὰρ ὥσπερ αἴνιγμα τῇ πόλει, ἢ τοσ-

ἆθλον εὐφημιῶν καὶ δόξης πρόκειται, ταύτῃ κἂν ὡς ἐλάχιστον τού-
των ὧν μέτεστιν, εἴποι τις, οὐ τοῦ παντὸς ἁμαρτήσεται. ἄλλας
μὲν χώρας ἐλέφαντες καὶ λέοντες κοσμοῦσι, τὰς δὲ ἵπποι καὶ
κύνες, τὰς δὲ αἳ τοὺς παῖδας ἀκούοντας ἐκπλήττει· τὴν δὲ πόλιν κοσμεῖ
τῶν ἐπὶ γῆς τὸ κάλλιστον. ἄγεται γὰρ ἐκ πάσης γῆς, καὶ θαλάττης,
ὅσα ὧραι φύουσι καὶ χῶραι ἕκασται φέρουσι, καὶ ποταμοὶ, καὶ
λίμναι, καὶ τέχναι Ἰνδῶν, καὶ ἄλλων ἐθνῶν. ὥστε εἴ τις ταῦτα πάντα
ἐπιδεῖν βούλοιτο, δεῖ αὐτὸν ἢ πᾶσαν ἐπελθόντα τὴν οἰκουμένην
οὕτω θεάσασθαι, ἢ ἐν τῇδε τῇ πόλει γενόμενον. ὅσα γὰρ παρ' ἑ-
κάστοις φύεται, καὶ κατασκευάζεται, οὐκ ἔστιν ὡς οὐκ ἐνταῦθα ἀεὶ καὶ
περιττεύει. τοσαῦται δὲ δεῦρο κομίζουσαι παρὰ πάντων ὁλκάδες,
ἀνὰ πᾶσαν μὲν ὥραν, πᾶσαν δὲ φθινόπωρον περιτροπὴν, ὥς ἐοικέ-
ναι τὴν πόλιν κοινῷ τινι τῆς γῆς ἐργαστηρίῳ. φόρτους μὲν ἀπ' Ἰνδῶν εἰ
βούλει δὲ, καὶ τῶν εὐδαιμόνων Ἀράβων, τοσούτους ὁρᾶν ἔξεστιν, ὥστε εἰ-
κάζειν γυμνὰ τὸ λοιπὸν τοῖς ἐκεῖ λελεῖφθαι τὰ δένδρα, καὶ δεῦρο
δεῖν ἐκείνους ἐλθεῖν, ἐάν του δέωνται, τῶν σφετέρων μεταιτήσοντας·
ἐσθῆτας δὲ αὖ Βαβυλωνίους, καὶ τοὺς ἐκ τῆς ἐπέκεινα βαρβάρου
κόσμους, πολὺ πλείους τε καὶ ῥᾷον εἰσαφικνουμένους, ἢ ἐκ Νάξου,
ἢ Κύθνου Ἀθήναζε δεῖ καταίρειν τῶν ἐκεῖθεν φέροντας. γεωργίαι
δὲ πόλεως, Βελγία, Κελτικὴ, Ἱσπανία, καὶ κόσμου ὅσον ἥμερον.
κατάπλοι δὲ, καὶ ἀπόπλοι οὔποτε λείπουσιν. ἀτεχνῶς δὲ ὅπερ Ἡσίο-
δος ἔφη περὶ τῶν τοῦ Ὠκεανοῦ περάτων, εἶναι τόπον οὗ συντετρῆσθαι
πάντα, ἐνταῦθα συμπίπτει, ἐμπορίαι, ναυτιλίαι, γεωργίαι, με-
τάλλων καθάρσεις, τέχναι ὁπόσαι εἰσί τε καὶ γεγένηνται, πάντα ὅσα
γεννᾶται, καὶ φύεται. ὅ τι δ' ἂν μὴ ἐνταῦθα ἴδοι τις, οὐκ ἔστι τῶν γενομέ-
νων, ἢ γιγνομένων. οἶμαι εἴ τινος εἴδωλον πόλεως ἔδει φαίνεσθαι κατ'
οὐρανὸν, ὥσπερ τὸν στέφανόν φασι τὸν Ἀριάδνης· καὶ ἄλλα εἴδωλα
ποταμῶν τε, καὶ ζώων, ὅσα πρὸς ποιητῶν ἐτιμήθη, τοῦ δὲ αὖ φαίνεσθαι
νικῆσαι. οὕτω μοι δοκεῖ πεφυκέναι παράδειγμα πόλεως εἶναι, καὶ οὔτε
τοῦ πολίτου λογοποιοῦ προμνωμένου προσδεῖσθαι, οὔτε ἄλλης τέχνης εἰς
ἐπαι-

ἔπαινοι· ἀλλ' αὐτὴ προξενεῖν τὸν ἔρωτα αὐτῆς πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ αὐτὴ καταναγκάζειν ὀφθαλμοὺς, οὐχὶ ὦτα πείθουσα. τέτακται γὰρ ὑπὲρ τοῦ Σκάλδου ἄνθος ὥρας ἀφιεῖσα διηνεκές· οὐ πρὸς ἀνάγκην οὐδ' ἠπειγμένον τὸ μέγεθος παρεχομένη, ἀλλὰ πανταχοῦ πολλὴ καὶ παραπλησία καὶ ἔστιν αὐτῇ τὸ μέγεθος κάλλους περιουσία. κόσμοι τε οἵ τε ἐν αὐτῇ, καὶ οἱ περὶ αὐτὴν ἐξ ἴσου πολλοί τε, καὶ λαμπροὶ, καὶ ποθεινότεροι οὐχὶ λελοιπότες· ἀλλ' ἔστιν ἅπασα ὥσπερ δι' ἀγαλμάτων, οἱ κατάπαστοι χιτῶνες. ἱστάντι ἐπὶ τῆς ἀκροπόλεως ὁ μὲν ποταμὸς ὑπορρεῖ, τὰ δὲ προάστεια ὑφορμεῖ· καταμιγνυμένη δὲ ἀμφοτέροις ἡ πόλις, διὰ τριῶν τῶν ἡδίστων θεαμάτων ἐκχεῖ τὴν ψυχὴν, οὐδὲ ἔστιν εὑρεῖν οὗ τις ἐρείσῃ τὸν ὀφθαλμὸν, ἕλκει γὰρ ἐφ' ἑαυτὰ ἕκαστον, ὥσπερ ἐν ὅρμῳ ποικίλῳ. ἀργὸν οὐδέν ἐστι θεάματος, οὐδὲ χρείας. ποίας γραφῆς, ἢ πλάσματος οὐ βελτίω ταῦτα μιμήσασθαι (πλὴν τινὸς Ἀνβερσαιοπλάστου) ἀεὶ γὰρ ὥσπερ ἐς πομπὴν ἐνιαύσιον κεκοσμημένη, ταῖς δὲ ἰδίαις καὶ δημοσίαις κατασκευαῖς ὡραΐζεται, σκηνῆς Μηδικῆς θέαμα ἁβρότερον. θυμηδίαι δὲ αὐτὴν οὔποτε λείπουσιν, οὐδ' ὅσαι Μοῦσαι πόλεις ἀνθρώπων ἐπέρχονται, οὐδεμία ἐξοικεῖ. πρὸς δὲ τούτοις, χειρῶν ἔργα παντοῖα, καὶ φορὰ γῆς καὶ θαλάττης ἐφάμιλλος, δι' ὧν ἡ πόλις ἕλκει πρὸς ἑαυτὴν ὥσπερ ἡ μαγνῆτις λίθος τὰ σιδήρεια, καὶ δι' ἀνάγκης ἐθελουσίου χειροῦται. πέπονθε δὲ ταυτὸν ἥ τε πόλις πρὸς τὰ ἔξω, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τὴν πόλιν. δοκεῖ δ' ἄν μοι τις καὶ δόγμα περὶ αὐτῶν ποιήσασθαι, ὥσπερ τὸν ὑπὸ ἐχίδνης φασὶ πληγέντα, μὴ ἐθέλειν ἑτέρῳ λέγειν, ἀλλ' ἢ ὅστις πεπείραται. οὕτω καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως καλῶν, ἰδόντι μόνῳ κοινοῦσθαι, ἢ μέλλοντί γε αὐτίκα, εἰς ἑτέρους δὲ οὐκ ἂν ῥᾳδίως τοὺς λόγους ἐκφέρειν, ὥσπερ εἰς βεβήλους ἱερὰ, ὥσπερ οἱ ὑπ' ἔρωτος κατεχόμενοι πρὸς τοὺς κομιδῇ παῖδας οὐκ ἐθέλουσι διηγεῖσθαι. τόσον δὲ μὲν γὰρ ἴσως, καὶ ποιητὴς ἂν εἴποι, καὶ ψυχαγωγήσειεν. ὡς ἡ ἐπὶ πᾶσι χάρις ὥσπερ ἶρις τεταμένη, καὶ τὴν πόλιν ὥσπερ λύ-

ραν ἁρμοττομένη σύμφωνον αὐτῇ τε, καὶ τοῖς ἔξω κόσμοις. καὶ ἡ διὰ πάντων, ὥσπερ τοῦ παρ' Ὁμήρῳ χαλκοῦ, μέχρις οὐρανοῦ διηνεκὴς αἴγλη. πρὸ ταῦτα ἐφικτά, διηγήσασθαι. καί μοι μόνη μὲν πόλεων ἱστορίας, οὐκ ἀκοῆς δεῖται, μόνη τε οὐχ ἱστορίας μᾶλλον, ἢ διαίτης συνεχοῦς, καὶ ὁμιλίας, ὅστις αὐτὴν μέλλει καλῶς θεάσεσθαι, καὶ τοὺς μισθοὺς τῶν ἐπαίνων αὐτόθεν κομιεῖσθαι. ὡς γὰρ φασὶν οἱ παῖδες τὸν Πέλοπα κατὰ μέλη τετμηθέντα, ἑψηθέντα ἐν λέβητι,

Πίνδαρος διαγέων χαλκεύτης ἦδε τῶν ὕμνων·

Ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτί-
κα φθονερῶν γειτόνων,
Ὕδατος ὅτι τε πυ-
ρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμὰν
Μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη,
Τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
Σέθεν διεδάσαντο, καὶ φάγον.

καὶ σκοτεινὸς Λυκόφρων·

—— ἐν γαμφαῖσιν ἐνναία ποτὲ
Ἔρανν' ἐριννὺς θουρία ξιφηφόρος
Ἄσαρκα μιστύλασ'. ——

συντεθῆναι δὲ πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἐκ τοῦ λέβητος λέγουσι, ἐλλείποντος δὲ τοῦ ὤμου, χρεῖν

Ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον

ἀντὶ παλαιοῦ· καί φασι τὸ ἔργον Δήμητρος γενέσθαι. ὡς δὲ τῇ πόλει μετ' ἐκεῖνον λέβητα, ὅς αὐτῇ νεὼν, βουλευτήριον, καὶ ἄλλα πόλεων ἔξοχα, ἔφλεξεν, ἡ δευτέρα σύστασις εἰς θαυμαστήν τινα ἐλήλυθε κάλλους περιουσίαν, καὶ γάρ τοι πρότερον μὲν οὐδ' εἰς ἐπίνοιαν ὑπερβολῆς ἐλθεῖν ἦν, ἀλλ' ἐδόκει παράδειγμα κάλλους ἡ πόλις εἶναι, νυνὶ δ' ἐξηλέγχθην ἄρα οὐκ ὀρθῶς δοξάζων. τότε μὲν γὰρ τὰς ἄλλας πόλεις, νῦν δ' αὐτὴ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, ἑαυτὴν νενίκηκε. τῇ γὰρ πόλει κέρδος τὸ σύμπτωμα. ὥσπερ γὰρ ἐν δράματι, καὶ δὴ

Digitized by Google

δὴ πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἀναφύεται μεταβαλοῦσα τὴν ἡλικίαν, ἡ αὐτὴ παλαιὰ, καὶ νέα γενομένη. ὥσπερ τὸν φοίνικα ἀναβιώσεσθαι λόγος αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ, οὐ γὰρ δὴ τοῦτ' ἄρα δόξαι τῷ θεῷ ἕτερον φοίνικα ἀντ' ἐκείνου, καὶ μετ' ἐκεῖνον γενέσθαι. τὸ γὰρ οὔτε λόγῳ ῥητὸν, οὔτε ὄψει βεβαίως καταληπτὸν, ἀλλ' ἐκφεῦγον, οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐπιθυμίαν δὲ τοῦ συλλαβεῖν αὐτὸ παριστᾶν ἀεὶ δήποτε τὸ ὑπὲρ παντὸς τοῦ νεὼ ἑστηκὸς γαῖος· οὐ διαφθείρειν τὰς ὄψεις, ὡς ἔφη Σαπφὼ, ἀλλ' αὖξον, καὶ τρέφον, καὶ ἄρδον ἅμα εὐθυμίᾳ. ὑακινθίνῳ μὲν ἄνθει οὐδαμῶς ὅμοιον, ἀλλ' οἷον οὐδέν πώποτε γῆ, καὶ ἥλιος ἀνθρώποις ἔφηναν. ὥσπερ δὲ ἄγαλμα ἀκριβῶς πεποικιλμένον, πάντη περιιόντι θέαν ἔχει. εἰ δὲ ἔτυχον περιιόντες Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος, ῥαδίως ἄν μοι δοκοῦσιν εἰπεῖν τὸ περὶ τοῦ τείχους τοῦ Τρωϊκοῦ μυθολόγημα μεταθέντες, ὡς ἄρα Ποσειδῶν καὶ Ἀπόλλων κοινῇ φιλοτεχνήσαντες, ἀπειργάσαντο τὸ ἔργον τῇ πόλει. ὁ μὲν τὴν πέτραν παραγαγὼν ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς θαλάττης, καὶ ἅμα ποιήσας δυνατὴν εἶναι κομισθῆναι, ὃ δ' ὥσπερ εἰκὸς οἰκιστὴν μετὰ συννάου Ἑρμᾶ βουληθεὶς τὴν ἑκατερόθωκον πόλιν κοσμῆσαι προσθήκῃ τηλικαύτῃ. ταῦτα δὲ οὐδὲν δεῖ λόγῳ κοσμεῖν, ἀλλ' εἰς ἐπαινέτας ἀποθέσθαι· καὶ τούτων ὅσοι τέλειοι, καὶ ἱκανοὶ δοκιμάσαι πρᾶγμα τοσοῦτον, ὡς ἐγὼ καὶ τοῦτο ὀῤῥωδῶ, μὴ οὐδὲ τούτοις πᾶσιν ᾖ τὴν ἀκρίβειαν ἐξευρεῖν. τὰ δ' αὖ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς τίς οὐκ ἂν ἄξια τῆς ὅλης τύχης εἴπῃ καὶ τοῦ μεγάλου τῶν Ἀνβερσοπολιτῶν ὀνόματος; τῶν γὰρ τῆς τέχνης τί χρὴ μέγιστον θεῖναι, ἢ τί πρῶτον εἰπεῖν; ἀγάλματα ἄνευ τῶν οὐρανίων τῆς πρώτης τέχνης, τὰ πρῶτα καὶ τὰ καινὰ, περὶ ὧν μὴ, ὅτι εἰπεῖν κατ' ἀξίαν ἐστὶν, ἀλλ' οὐδ' ἰδεῖν ἀξίως αὐτὰ, ἀλλ' ὡς ἀληθῶς Ἄργου τινὸς πανόπτου. οὐ μὲν Ἀθηνᾶν οἵαν Φειδίας ἐδημιούργησεν, γλαυκῶπιν, αἰγίδι ἀνεζωσμένην, δόρυ ἔχουσαν, ἀλεκτρυόνα δ' ἐπὶ τῷ κράνει. ἢ τὴν τοῦ Παρθενῶνος, ἄγαλμα ὀρθὸν, ἐν χιτῶνι ποδήρει, ᾧ τινι κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης, ἐπὶ δὲ τῇ κορύφῃ Σφιγγὸς εἰκὼν, καὶ καθ' ἑ-

κάτε-

κάτεργον τοῦ κόρυθος γρῦπες. μηδὲ αὐτὴν Ἥραν οἵαν Πολύκλειτος ἐδαίδαλε. Χάριτας καὶ Ὥρας ἐν τῷ στεφάνῳ περισφίγξασαν, καὶ τῶν χειρῶν τῇ μὲν καρπὸν φέρουσαν ῥοιᾶς, τῇ δὲ σκῆπτρον, κόκκυγα δὲ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθήμενον βαστάζουσαν·

Θαύματι δὲ χειροδεδνώτους περιδέξατο κέρας
Κάλλος ἐπαινήσας, ὅτι πηλίκον οὐ λάχεν Ἥρη
Καὶ χάριτας κίκλησκε χερείονας, ἀμφοτέρων δὲ
Μορφῆς, μῶμον ἔνιπτε καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Ἀθήνης,
Καὶ τίνας ἀγόρευε φαεινοτέρας Ἀφροδίτης.

τὰ μὲν ὄμματα αὐτῶν διαυγέστερα τῶν πηγῶν, ὡς δύνασθαι δι' αὐτῶν τῆς ψυχῆς παρθενίας τὰ κειμήλια ἐνατενίζειν, τὸ δὲ τῶν παρειῶν (τῆς αἰδοῦς ἔλεγχον) εὔχρουν ὑπὲρ αὐτὸν οἶνον, τὰ δὲ χείλη βαφέντα τῷ τῶν ῥόδων αἵματι, ἐκχυθὲν γὰρ ὑπὲρ τῆς ἀγνοσύνης αὐτὰ ἐπόρφυρε.

Παλλὰς ἐσταθμήσασα, καὶ Ἥρη χρυσοπέδιλος,
Ἀργ' ἐρυθρεῖς κύρας, ἴαχον ἀμφοτέραι·
Οὐκ ἔτι γυμνούμεθα, κρίσις μία ποιμένος ἀρκεῖ.
Οὐ καλὸν ἡττᾶσθαι δὶς περὶ καλλοσύνης.

Εἰς ταύτας ἐφοιτήσατο τοῦ Ἀρισείδου Θηβαίου ὄνομα, δι' ὅτι τῆς πόλεως ἐκ περιβολῆς ἢ κατὰ κράτος ἁλούσης, τὸ βρέφος ὑπομάζιον τῇ μελλοθανάτῳ μητρὶ προσερπύσαν ἐχρωματίσατο· ἔοικε δὲ μήτηρ αἰσθήσασθαι, καὶ εὐλαβεῖσθαι μήποτε κρυσταινομένου γάλακτος διάδοχον ἐκχυλίσῃ αἷμα. τίς δὲ ἂν εἴη τοσούτων λόγων μετεσχηκὼς, ὥστε ἐπαινέσαι πρὸς ἀξίαν τὴν διὰ Ἡρώδην νηποκτασίαν τοῦ Πέτρου Βρουεγελίου; βλέπειν ταῦτα νενόμικα, κεκραγότα μὲν ἄσημα μετ' ἐκπλήξεως, καὶ πρὸς τὰς τῶν ξιφῶν αὐγὰς ἐπιβλέποντα, δοκῶ δὲ καὶ αὐτὰς μητέρας ὁρᾶν, καὶ τὴν μὲν οὐδὲ καλύπτειν εὐσχήμονα λαβοῦσαν ἐν ἀκμῇ τῶν δεινῶν, τὴν δὲ εἰκῇ κεχυμένας τὰς κόμας ἐπιβάλλουσαν τῷ παιδί, καὶ τῇ τοιαύτῃ σκέπῃ τὸ βρέφος ἀποκλείειν τῶν κινδύνων ἐλπίζουσαν,


ἄλλην

Digitized by Google

ἄλλην δὲ πρὸς τὴν τῆς μαχαίρας ἀποβλέπουσαν ἀστραπήν, τὸ βλέμμα ἐπιμερίζουσαν τῇ τε ὁρμῇ τοῦ ξίφους, καὶ τῷ παιδίῳ τῷ πλήττεσθαι μέλλοντι, καὶ προσπηθεῖσαν ἑαυτὴν τῇ φορᾷ τοῦ σιδήρου μετὰ σπουδῆς. καὶ πάλιν ἄλλην προαπολωλυῖαν ἀπὸ τοῦ φόβου τῆς οἰκείας γονῆς, καὶ τὸν πλήττοντα μετ' οἰμωγῆς ἀμυδρᾶς ἀναμένουσαν, καί που καὶ ταῖς χερσὶ παρειμέναις ἤδη, καὶ τρεμούσαις σφοδρῶς, τὸ βρέφος βαστάζουσαν, ἐκεῖνο δὲ διολισθῆσαν τῆς ἀγκάλης φθάσαι τῷ θανάτῳ τοῦ πτώματος, τὴν ἀπὸ τοῦ ξίφους ἀπώλειαν. Ἄλλα δὲ οἷα καὶ ὅσα; τίς ἄν μοι δοίη τὴν Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου χολὴν τε καὶ γλῶτταν, ἵνα καὶ τῷ μέλλοντι χρόνῳ παραδῶ τὴν τῆς Ἀνβέρσης ἁρμονίαν; προειρημένα οὖν, ὥσπερ τὰ πράγματα τὴν δυστυχίαν σεμνύνειν, πείθεσθε. τὸν δὲ οἰκειότατον καὶ μέγιστον τῆς πόλεως κόσμον, καὶ ὃς ἅπασαν ἔχει τὴν ἐπιτηδειότητα συλλαβὼν αὐτῆς ἤδη διέειμι. Εἴπερ τοῦ σπέρματος τὰ βλαστήματα, καὶ τοῦ πνεύματος τὸ ναυάγιον· ὁμοίως καὶ ἡ πόλις εὐνομουμένη τῶν ὑπατευόντων. τὰ γὰρ κοινὰ σώζεσθαι φιλεῖ, οὐκ ἐὰν τὰ τείχη ἀραρότα ᾖ, οὐδὲ νεὼ σωζόμενοι, οὐδέ γε στοαὶ, καὶ πομπεῖα, καὶ ὠνιοθῆκαι (ταῦτα γὰρ χρόνος λαβὼν οἰχήσεται·) τὸ δὲ σῶζον καὶ τὰς πόλεις, καὶ ἐκ μικρῶν μεγάλας ποιῆσαν, ἡ ἁρμονία· τὴν δὲ ἁρμονίαν ἡ τῶν πολιτευομένων ἀρετὴ φυλάττει, τὴν δὲ ἀρετὴν τὰ προεστώτων τοῦ πλήθους παραδείγματα. οὐδὲν γὰρ οὕτω πείθει τοὺς πολλοὺς ὡς παραδείγματα, καὶ πρᾶξις, ἡ σιωπῶσα παραίνεσις οὖσα. ὑμεῖς δὲ ὅσα τοὺς ἀρχομένους καὶ φρονεῖν καὶ πράττειν βούλεσθε, καὶ λέγετε, καὶ ποιεῖτε. ἐκεῖνοι παρατηροῦσιν, οὐδενὶ οὐδενὸς πράγματος οὕτω θερμὸν ἔρωτα ἐνσκῆψαι, ὡς ὑμῖν τὰ κοινὰ τῆς πόλεως αὐξηθῆναι. ἀνθ' ὧντινων πάντα ἐν ταύτῃ πόλει ἐπὶ τάγματος καὶ νεύματος τελεῖται ῥᾷον, ἢ τις ἂν χορδὴν ψῆλαι· κἄν τι χρῆσθαι δέῃ, ἀπόχρη δόξαι, καὶ πέπρακται. πόλις γὰρ ἔχει αὐτὸ ἐκεῖνο, κατὰ τὴν Λακωνικὴν πολιτείαν, ἧς τὸ τοιοῦτον μὲν πλῆθος ἄρχεται, τὸ δὲ

ὀλίγον,

ANVERSA *opimis tunc ſpolijs Ducum*
Diues, trophæi marmora Gallici
Oblita, Liranamq; quercum,
MAGNE DEVS! *foribus dicaret*
In MARIANIS, *arma cadentibus*
Erepta Turcis, Loraq; curruum
Arcuſq;, Peltaſq; AEVITERNÆ
Digna DEO *monumenta* PACIS.



ERRATA.

Pag. 23.	*lin.* 9.	auſaque *lege*	auſuſque	
34.	21.	matem	matrem	
36.	12.	Xeuxis	Zeuxis	
49.	1.	ſuperet	ſaperet	
56.	1. *& alibi*	Anthleæ	Antliæ	
59.	1.	ſalientes	ſalientem	
67.	14.	Pihium	Pighium.	
77.	12.	at	ac	

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

LABORE ET CONSTANTIA

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Η ΠΡΩΤΟΓΕΝΕΙΑ
ΚΑΙ
ΕΠΙΣΤΡΕΦΟΜΕΝΗ
ΤΥΧΗ
ΤΗΣ ΑΝΒΕΡΣΗΣ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ὦ Πότνια Πάρθνε, μᾶτερ
Ἀμετέρα, λίσσομαι,
Τὰν πολυξέναν ἐν
Ἱερομηνίᾳ ἵκεο, ζέ-
θεν ὄπα μαόμεθα.

ὍΝπερ τρόπον οἱ τὰ δ' ἀγάλματα διαπλάττοντες, πᾶν τὸ παρ' ἑκάστοις καλὸν συναγαγόντες, κατὰ τὴν τέχνην ἐκ διαφόρων σωμάτων ἀθροίσαντες, εἰς μίμησιν μίαν, κάλλος ἓν ὑγιὲς, καὶ ἄρτιον, καὶ ἡρμοσμένον αὐτὸ αὐτῷ ἐξεργάζουσι· τὸν δ' αὐτὸν τρόπον τὴν Ἄνβερσαν κατὰ τὸ ἀκριβέστατον, καὶ χρειωδέστατον (οὐ ψιλῷ λόγῳ ὡς τὴν τοῦ Πλάτωνος) ὁ θεὸς καὶ φύσις ᾤκισεν.

Ὡς ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
Πέτρης ἐκχύμεναι σιμβλήϊδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἑρσήεις γάνυται· ταὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτε τ' ἄλλον
Καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι.

οὕτως Ἀγλαοπτολισματουργοτέχνη τὰ λοιπαῖς τῶν τῆς οἰκουμένης πόλεων νεμηθέντα δρέψασα, σωρόν τε συναγαγοῦσα, τὴν Ἄνβερσαν, γῆς ἄγαλμα, νυμφῶν καὶ χαρίτων ὕφασμα παρεῖχε· τὰ γὰρ παρ' ἑκάσταις ἀξιοθέατα, ἢ ἀξιοπηγητότατα, ταύτῃ δαψιλῶς ἐχορηγήσατο, ὡς, ἃ περὶ πολυθρυλλήτων τῆς οἰκουμένης πόλεων πανηγυρίσαντες πάλαι διῆλθον, γνωριεῖ· ὄνομα γὰρ ἀντὶ ὀνόματος ἀμείψαντας, περὶ τῆς Ἀνβέρσης λόγους ποιῆσαι, αὐτογνωμήσεις. Συμβέβηκεν γὰρ ὥσπερ αἴνιγμα τῇ πόλει, ἢ τοσ-

ὅσον εὐφημιῶν καὶ δόξης ὑπερέχει, ταύτῃ κἂν ὡς ἐλάχιστον τού-
των ὧν μέτεστιν, εἴποι τις, οὐ τοῦ παντὸς ἁμαρτήσεται. ἄλλας
μὲν χώρας ἐλέφαντες καὶ λέοντες κοσμοῦσι, τὰς δ' ἵπποι καὶ
κύνες, τὰς δ' αὖ τοὺς παῖδας ἀκούοντας ἐκπλήττει· τὴν δὲ πόλιν κοσμεῖ
τῶν ἐπὶ γῆς τὸ κάλλιστον. ἄγεται γὰρ ἐκ πάσης γῆς, καὶ θαλάττης,
ὅσα ὧραι φύουσι καὶ χῶραι ἕκασται φέρουσι, καὶ ποταμοί, καὶ
λίμναι, καὶ τέχναι Ἰνδῶν, καὶ ἄλλων ἐθνῶν. ὥστε εἴ τις ταῦτα πάντα
ἐπιδεῖν βούλοιτο, δεῖ αὐτὸν ἢ πᾶσαν ἐπελθόντα τὴν οἰκουμένην
οὕτω θεάσασθαι, ἢ ἐν τῇδε τῇ πόλει γενόμενον. ὅσα γὰρ παρ' ἑ-
κάστοις φύεται, καὶ κατασκευάζεται, οὐκ ἔστιν ὡς οὐκ ἐνταῦθα ἀεὶ καὶ
περιττεύει. τοσαῦται δὲ δεῦρο κομίζουσαι παρὰ πάντων ὁλκάδες,
ἀνὰ πᾶσαν μὲν ὥραν, πᾶσαν δὲ φθινοπώρου περιτροπήν, ὡς ἐοικέ-
ναι τὴν πόλιν κοινῷ τινι τῆς γῆς ἐργαστηρίῳ. φόρτους μὲν ἀπ' Ἰνδῶν εἰ
βούλει δέ, καὶ τῶν εὐδαιμόνων Ἀράβων, τοσούτους ὁρᾶν ἕξεστιν, ὥστε εἰ-
κάζειν γυμνὰ τὸ λοιπὸν τοῖς ἐκεῖ λελεῖφθαι τὰ δένδρα, καὶ δεῦρο
δεῖν ἐκείνους ἐλθεῖν, ἐάν του δέωνται, τῶν σφετέρων μεταιτήσοντας·
ἐσθῆτας δὲ αὖ Βαβυλωνίους, καὶ τοὺς ἐκ τῆς ἐπέκεινα βαρβάρου
κόσμους, πολὺ πλείους τε καὶ ῥᾷον εἰσαφικνουμένους, ἢ ἐκ Νάξου,
ἢ Κύθνου Ἀθήναζε δεῖ καταίρειν τῶν ἐκεῖ τι φέροντας. γεωργίαι
δὲ πόλεως, Βελγία, Κελτική, Ἱσπανία, καὶ κόσμου ὅσον ἥμερον.
κατάπλοι δέ, καὶ ἀπόπλοι οὔποτε λείπουσιν. ἀτεχνῶς δὲ ὅπερ Ἡσίο-
δος ἔφη περὶ τῶν τοῦ Ὠκεανοῦ περάτων, εἶναι τόπον οὗ συντετρῆσθαι
πάντα, ἐνταῦθα συμπίπτει, ἐμπορίαι, ναυτιλίαι, γεωργίαι, με-
τάλλων καθάρσεις, τέχναι ὁπόσαι εἰσί τε καὶ γεγένηνται, πάντα ὅσα
γεννᾶται, καὶ φύεται. ὅτι δ' ἂν μὴ ἐνταῦθα ἴδοι τις, οὐκ ἔστι τῶν γενομέ-
νων, ἢ γιγνομένων. οἶμαι εἴ τινος εἴδωλον πόλεως ἔδει φαίνεσθαι κατ'
οὐρανόν, ὥσπερ τὸν στέφανόν φασι τὸν Ἀριάδνης, καὶ ἄλλα εἴδωλα
ποταμῶν τε, καὶ ζώων, ὅσα πρὸς ποιητῶν ἐτιμήθη, τῆς δὲ αὖ φαίνεσθαι
νικῆσαι. οὕτω μοι δοκεῖ πεφυκέναι παράδειγμα πόλεως εἶναι, καὶ οὔτε
τοῦ πολίτου λογοποιοῦ προοιμιωμένου προσδεῖσθαι, οὔτε ἄλλης τέχνης εἰς
ἐπαι-

ἔπαινοι· ἀλλ' αὐτὴ προξενεῖν τὸν ἔρωτα αὐτῆς πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ αὐτὴ καταναγκάζειν ὀφθαλμοὺς, οὐχὶ ὦτα πείθουσα. τέτραται γὰρ ὑπὲρ τοῦ Σκάλδου ἄνθος ὥρας ἀφιεῖσα διηνεκές· οὐ πρὸς ἀνάγκην οὐδ' ἠπειγμένον τὸ μέγεθος παρεχομένη, ἀλλὰ πανταχοῦ πολλὴ καὶ παραπλησία καὶ ἔστιν αὐτῇ τὸ μέγεθος κάλλους περιουσία. κόσμοι τεόιτε ἐν αὐτῇ, καὶ οἱ περὶ αὐτὴν ἐξίσου πολλοίτε, καὶ λαμπροὶ, καὶ ποθεινότεροι οὐχὶ λελοιπότες· ἀλλ' ἔστιν ἅπασα ὥσπερ δι' ἀγαλμάτων, οἱ κατάπαστοι χιτῶνες. ἱστάντι ἐπὶ τῆς ἀκροπόλεως ὁ μὲν ποταμὸς ὑπορρεῖ, τὰ δὲ προάστεια ὑφορμεῖ καταμιγνυμένη δ' ἀμφοτέροις ἡ πόλις, διὰ τριῶν τῶν ἡδίστων θεαμάτων ἐκχεῖ τὴν ψυχὴν, οὐδὲ ἐστὶν εὑρεῖν οὗ τις ἐρείσῃ τὸν ὀφθαλμὸν, ἕλκει γὰρ ἐφ' ἑαυτὰ ἕκαστον, ὥσπερ ἐν ὅρμῳ ποικίλῳ. ἀργὸν οὐδέν ἐστι θεάματος, οὐδὲ χρείας. ποίας γραφῆς, ἢ πλάσματος οὐ βελτίω ταῦτα μιμήσασθαι (πλὴν τινὸς Ἀνβερσαιοπλάστου) αἰεὶ γὰρ ὥσπερ ἐς πομπὴν ἐνιαύσιον κεκοσμημένη, ταῖς δὲ ἰδίαις καὶ δημοσίαις κατασκευαῖς ὡραΐζεται, σκηνῆς Μηδικῆς θέαμα ἁβρότερον. θυμηδίαι δ' αὐτὴν οὔποτε λείπουσιν, οὐδ' ὅσαι Μοῦσαι πόλεις ἀνθρώπων ἐπέρχονται, οὐδεμία ἐξοικεῖ. πρὸς δὲ τούτοις, χειρῶν ἔργα παντοῖα, καὶ φορὰ γῆς καὶ θαλάττης ἐφάμιλλος, δι' ὧν ἡ πόλις ἕλκει πρὸς ἑαυτὴν ὥσπερ ἡ μαγνῆτις λίθος τὰ σιδήρια, καὶ δι' ἀνάγκης ἐθελουτὰς χειροῦται. πέπονθε δὲ ταυτὸν ἥ τε πόλις πρὸς τὰ ἔξω, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τὴν πόλιν. δοκεῖ δ' αὖ μοι τις καὶ δόγμα περὶ αὐτῶν ποιήσασθαι, ὥσπερ τὸν ὑπὸ ἐχίδνης φασὶ πληγέντα, μὴ ἐθέλειν ἑτέρῳ λέγειν, ἀλλ' ἢ ὅστις πεπείραται. οὕτω καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως καλῶν, ἰδόντι μόνῳ κοινοῦσθαι, ἢ μέλλοντί γε αὐτίκα, εἰς ἑτέρους δὲ οὐκ αὖ ῥαδίως τοὺς λόγους ἐκφέρειν, ὥσπερ εἰς βεβήλους ἱερὰ, ὥσπερ οἱ ὑπ' ἔρωτος κατεχόμενοι πρὸς τοὺς κομιδῇ παῖδας οὐκ ἐθέλουσι διηγεῖσθαι. τόσον δὲ μὲν γὰρ ἴσως, καὶ ποιητὴς ἂν εἴποι, καὶ ψυχαγωγήσειεν. ὡς ἡ ἐπὶ πᾶσι χάρις ὥσπερ ἶρις τεταμένη, καὶ τὴν πόλιν ὥσπερ λύ-

Digitized by Google

ραν ἁρμοττομένην σύμφωνον αὐτῇ τε, καὶ τοῖς ἔξω κόσμοις. καὶ ἡ διὰ πάντων, ὥσπερ τοῦ παρ᾽ Ὁμήρῳ χαλκοῦ, μέχρις οὐρανοῦ διηνεκὴς αἴγλη. περὶ ταῦτα ἐφικτὰ, διηγήσασθαι. καί μοι μόνη μὲν πόλεων ἱστορίας, οὐκ ἀκοῆς δεῖται, μόνη τε οὐχ ἱστορίας μᾶλλον, ἢ διαίτης συνεχοῦς, καὶ ὁμιλίας, ὅστις αὐτὴν μέλλει καλῶς θεάσεσθαι, καὶ τοὺς μισθοὺς τῶν ἐπαίνων αὐτόθεν κομιεῖσθαι. ὡς γὰρ φασὶν οἱ ποιηταὶ τὸν Πέλοπα κατὰ μέλη τετμηθέντα, ἑψηθέντα ἐν λέβητι,

Πίνδαρος διαγέων χαλκευτὴς ᾖδε τῶν ὕμνων·

Ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτί-
κα φθονερῶν γειτόνων,
Ὕδατος ὅτι τε πυ-
ρὶ ζέοισαν ἀμφ᾽ ἀκμὰν
Μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη,
Τραπέζαισί τ᾽ ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
Σέθεν διεδάσαντο, καὶ φάγον.

καὶ σκοτεινὸς Λυκόφρων·

——ἐν γαμφαῖσιν ἐνναία ποτὲ
Ἔρανν᾽ ἐριννὺς θουρία ξιφηφόρος
Ἄσαρκα μιστύλασ᾽.——

συντεθῆναι δὲ πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἐκ τοῦ λέβητος λέγουσι, ἐλλείποντος δὲ τοῦ ὤμου, χεῖν

Ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον

ἀντὶ παλαιοῦ· καί φασι τὸ ἔργον Δήμητρος γενέσθαι. ὡς δὲ τῇ πόλει μετ᾽ ἐκεῖνον λέβητα, ὅς αὐτῇ νεὼν, βουλευτήριον, καὶ ἄλλα πόλεων ἔξοχα, ἔφλεξεν, ἡ δευτέρα σύστασις εἰς θαυμαστήν τινα ἐλήλυθε κάλλους περιουσίαν, καὶ γάρ τοι πρότερον μὲν οὐδ᾽ εἰς ἐπίνοιαν ὑπερβολῆς ἐλθεῖν ἦν, ἀλλ᾽ ἐδόκει παράδειγμα κάλλους ἡ πόλις εἶναι, νυνὶ δ᾽ ἐξηλέγχθην ἄρα οὐκ ὀρθῶς δοξάζων. τότε μὲν γὰρ τὰς ἄλλας πόλεις, νῦν δ᾽ αὐτὴ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, ἑαυτὴν νενίκηκε. τῇ γὰρ πόλει κέρδος τὸ σύμπτωμα. ὥσπερ γὰρ ἐν δράματι, καὶ

δὴ

Digitized by Google

δὴ πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἀναφύεται μεταβαλοῦσα τὴν ἡλικίαν, ἡ αὐτὴ παλαιὰ, καὶ νέα γινομένη. ὥσπερ τὸν φοίνικα ἀναβιώσεσθαι λόγος αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ, οὐ γὰρ δὴ τοῦτ' ἄρα δόξαι τῷ θεῷ ἕτερον φοίνικα ἀντ' ἐκείνου, καὶ μετ' ἐκεῖνον γενέσθαι. τὸ γὰρ οὔτε λόγῳ ῥητὸν, οὔτε ὄψει βεβαίως καταληπτὸν, ἀλλ' ἐκφεῦγον, οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐπιθυμίαν δὲ τοῦ συλλαβεῖν αὐτὸ παριστᾶν ἀεὶ δήποτε τὸ ὑπὲρ παντὸς τοῦ νεὼ ἑστηκὸς γάνος· οὐ διαφθεῖρον τὰς ὄψεις, ὡς ἔφη Σαπφὼ, ἀλλ' αὖξον, καὶ τρέφον, καὶ ἄρδον ἅμα εὐθυμίᾳ. ὑακινθίνῳ μὲν ἄνθει οὐδαμῶς ὅμοιον, ἀλλ' οἷον οὐδέν πώποτε γῆ, καὶ ἥλιος ἀνθρώποις ἔφηναν. ὥσπερ δὲ ἄγαλμα ἀκριβῶς πεποικιλμένον, πάντῃ περιιόντι θέαν ἔχει. εἰ δὲ ἔτυχον περιιόντες Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος, ῥᾳδίως ἄν μοι δοκοῦσιν εἰπεῖν τὸ περὶ τοῦ τείχους τοῦ Τρωϊκοῦ μυθολόγημα μεταθέντες, ὡς ἄρα Ποσειδῶν καὶ Ἀπόλλων κοινῇ φιλοτεχνήσαντες, ἀπειργάσαντο τὸ ἔργον τῇ πόλει. ὁ μὲν τὴν πέτραν παραγαγὼν ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς θαλάττης, καὶ ἅμα ποιήσας δυνατὴν εἶναι κομισθῆναι, ὅδ' ὥσπερ εἰκὸς οἰκιστὴν μετὰ συνναοῦ Ἑρμοῦ βουληθεὶς τὴν ἑκατερόθεν ὠκοῦν πόλιν κοσμῆσαι προσθήκῃ τηλικαύτῃ. ταῦτα δὲ οὐδὲν δεῖ λόγῳ κοσμεῖν, ἀλλ' εἰς ἐπαινέτας ἀποθέσθαι· καὶ τούτων ὅσοι τέλειοι, καὶ ἱκανοὶ δοκιμάσαι πρᾶγμα τοσοῦτον, ὡς ἐγὼ καὶ τοῦτο ὀρρωδῶ, μὴ οὐδὲ τούτοις πᾶσιν ἡ τὴν ἀκρίβειαν ἐξευρεῖν. τὰ δ' αὖ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς τίς οὐκ ἂν ἄξια τοῦ ὅλης τύχης εἴπῃ καὶ τοῦ μεγάλου τῶν Ἀνβερσοπολιτῶν ὀνόματος; τῶν γὰρ τῆς τέχνης τί χρὴ μέγιστον θεῖναι, ἢ τί πρῶτον εἰπεῖν; ἀγάλματα ἄνευ τῶν οὐρανίων τοῦ πρώτης τέχνης, τὰ πρῶτα καὶ τὰ καινὰ, περὶ ὧν μὴ, ὅτι εἰπεῖν κατ' ἀξίαν ἐστὶν, ἀλλ' οὐδ' ἰδεῖν ἀξίως αὐτὰ, ἀλλ' ὡς ἀληθῶς Ἄργου τινὸς πανόπτου. οὐ μὲν Ἀθηνᾶν οἵαν Φειδίας ἐδημιούργησεν, γλαυκῶπιν, αἰγίδι ἀνεζωσμένην, δόρυ ἔχουσαν, ἀλεκτρυόνα δ' ἐπὶ τῷ κράνει. ἢ τὴν τοῦ Παρθενῶνος, ἄγαλμα ὀρθὸν, ἐν χιτῶνι ποδήρει, ᾧ τινι κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης, ἐπὶ δὲ τῇ κόρυθι Σφιγγὸς εἰκὼν, καὶ καθ' ἑ-

κάτε-

κάτεργον τοῦ κόξυθος γρῦπες. μηδὲ αὐτὴν Ἥραν οἵαν Πολύκλειτος ἐδαίδαλε. Χάριτας καὶ Ὥρας ἐν τῷ στεφάνῳ περισφίγξασαν, καὶ τῶν χειρῶν τῇ μὲν καρπὸν φέρουσαν ῥοιᾶς, τῇ δὲ σκῆπτρον, κόκκυγα δὲ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθήμενον βαστάζουσαν·

Θαύματι δὲ χειρωθεδνωτοὺς περιδέρκεο κούρας
Κάλλος ἐπαινήσας, ὅτι τηλίκον οὐ λάχεν Ἥρη
Καὶ χαρίτας κίκλησκε χερείονας, ἀμφοτέρων δὲ
Μορφῆς, μῶμον ἔνισπε καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Ἀθήνης,
Καὶ τίνας ἀγόρευε φαεινοτέρας Ἀφροδίτης.

τὰ μὲν ὄμματα αὐτῶν διαυγέστερα τῶν πηγῶν, ὡς δύνασαι δι' αὐτῶν τῆς ψυχῆς παρθενικῆς τὰ κειμήλια ἐνατενίζειν, τὸ δὲ τῶν παρειῶν (τῆς αἰδοῦς ἔλεγχον) εὔχρουν ὑπὲρ αὐτὸν οἶνον, τὰ δὲ χείλη βαφέντα τῷ τῶν ῥόδων αἵματι, ἐκχυθὲν γὰρ ὑπὲρ τῆς ἁγνοσύνης αὐτὰ ἐπόρφυρε.

Παλλὰς ἐσαθρήσασα, καὶ Ἥρη χρυσοπέδιλος,
Ἀργ ερυθρεῖς κούρας, ἴαχον ἀμφοτέραι·
Οὐκ ἔτι γυμνούμεθα, κρίσις μία ποιμένος ἀρκεῖ.
Οὐ καλὸν ἡττᾶσθαι δὶς περὶ καλλοσύνης.

Εἰς πύλας ἐφοιτήσατο τοῦ Ἀριστείδου Θηβαίου ὄνομα, δι' ὅτι τῆς πόλεως ἐκ προσβολῆς ἢ κατὰ κράτος ἁλούσης, τὸ βρέφος ὑπομάζιον τῇ μελλοθανάτῳ μητέρι προσερπύσαν ἐχρωματίσατο· ἔοικε δὲ μήτηρ αἰσθήσασθαι, καὶ εὐλαβεῖσθαι μήποτε κρυσαινομένου γάλακτος διάδοχον ἐκχυλίσῃ αἷμα. τίς δὲ ἂν εἴη τοσούτων λόγων μετεσχηκώς, ὥστε ἐπαινέσαι πρὸς ἀξίαν τὴν διὰ Ἡρώδην νηποκτασίαν τοῦ Πέτρου Βερεγελίου; βλέπειν ταῦτα νενόμικα, κεχαραγότα μὲν ἄσημα μετ' ἐκπλήξεως, καὶ πρὸς τὰς τῶν ξιφῶν αὐγὰς ἐπιβλέποντα, δοκῶ δὲ καὶ αὐτὰς μητέρας ὁρᾶν, καὶ τὴν μὲν οὐδὲ καλύπτραν εὐσχήμονα λαβοῦσαν ἐν ἀκμῇ τῶν δεινῶν, τὴν δὲ εἰκῆ κεχυμένας τὰς κόμας ἐπιβάλλουσαν τῷ παιδί, καὶ τῇ τοιαύτῃ σκέπῃ τὸ βρέφος ἀποκλέπτειν τῶν κινδύνων ἐλπίζουσαν,

ἄλλην


ἄλλην δὲ πρὸς τὴν τοῦ μαχαίρας ἀποβλέπουσαν ἀστραπὴν, τὸ βλέμμα ἐπιμερίζουσαν τῇ τε ὁρμῇ τοῦ ξίφους, καὶ τῷ παιδίῳ τῷ πλήττεσθαι μέλλοντι, καὶ προσπαθεῖσαν ἑαυτὴν τῇ φορᾷ τοῦ σιδήρου μετὰ σπουδῆς. καὶ πάλιν ἄλλην προαπολωλυῖαν ἀπὸ τοῦ φόβου τῆς οἰκείας γονῆς, καὶ τὸν πλήττοντα μετ' οἰμωγῆς ἀμυδρᾶς ἀναμμύουσαν, καί που καὶ ταῖς χερσὶ παρειμμένας ἤδη, καὶ τρεμούσαις σφοδρῶς, τὸ βρέφος βαστάζουσαν, ἐκεῖνο δὲ διολισθῆσαν τῆς ἀγκάλης φθάσαι τῷ θανάτῳ τοῦ πτώματος, τὴν ἀπὸ τοῦ ξίφους ἀπώλειαν. Ἄλλα δὲ οἷα καὶ ὅσα; τίς ἂν μοι δοίη τὴν Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου σχολὴν τε καὶ γλῶτταν, ἵνα καὶ τῷ μέλλοντι χρόνῳ παραδῶ τὴν τῆς Ἀνβέρσης ἁρμονίαν; προειρημένα οὖν, ὥσπερ τὰ πραγήματα τὴν δυστυχίαν σεμνύνειν, πείθεσθε. τὸν δὲ οἰκειότατον καὶ μέγιστον τῆς πόλεως κόσμον, καὶ ὃς ἅπασαν ἔχει τὴν ἐπιτηδειότητα συλλαβῶν αὐτῆς ἤδη διειμι. Εἴπερ τοῦ σπέρματος τὰ βλαστήματα, καὶ τοῦ πνεύματος τὸ ναυάγιον· ὁμοίως καὶ ἡ πόλις εὐνομουμένη τῶν ὑπατευόντων. τὰ γὰρ κοινὰ σώζεσθαι φιλεῖ, οὐκ ἐὰν τὰ τείχη ἀραρότα ᾖ, οὐδὲ νεῷ σωζόμενοι, οὐδέ γε στοαὶ, καὶ πομπεῖα, καὶ ὠνιοθῆκαι (ταῦτα γὰρ χρόνος λαβὼν οἰχήσεται) τὸ δὲ σῶζον καὶ τὰς πόλεις, καὶ ἐκ μικρῶν μεγάλας ποιῆσαν, ἡ ἁρμονία· τὴν δὲ ἁρμονίαν ἡ τῶν πολιτευομένων ἀρετὴ φυλάττει, τὴν δὲ ἀρετὴν τὰ προεστώτων τοῦ πλήθους παραδείγματα. οὐδὲν γὰρ οὕτω πείθει τοὺς πολλοὺς ὡς παραδείγματα, καὶ πρᾶξις, ἡ σιωπῶσα παραίνεσις οὖσα. ὑμεῖς δὲ ὅσα τοὺς ἀρχομένους καὶ φρονεῖν καὶ πράττειν βούλεσθε, καὶ λέγετε, καὶ ποιεῖτε. ἐκεῖνοι παρατηροῦσιν, οὐδενὶ οὐδενὸς πράγματος οὕτω θερμὸν ἔρωτα ἐνσκῆψαι, ὡς ὑμῖν τὰ κοινὰ τῆς πόλεως αὐξηθῆναι. ἀνθ' ὧντινων πάντα ἐν ταύτῃ πόλει ἐπὶ τάγματος καὶ νεύματος τελεῖται ῥᾷον, ἢ τις ἂν χορδὴν ψῆλαι· κἄν τι γράφεσθαι δέῃ, ἀπόχρη δόξαι, καὶ πέπρακται. πόλις γὰρ ἔχει αὐτὸ ἐκεῖνο, κατὰ τὴν Λακωνικὴν πολιτείαν, ἧς τὸ ποιοῦν μὲν πλῆθος ἄρχεται, τὸ δὲ

ὀλίγον, καὶ ἐπιεικὲς ἄρχει, καὶ τὸ μὲν σώζει, τὸ δὲ σώζεται, καὶ τὸ
μὲν προστάττει, τὸ δὲ πείθεται, τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν ἔργον ἐλευθε-
ρία. οὐ γὰρ οἱ χθὲς σκυτοτόμοι, καὶ τέκτονες, σήμερον Ἁρμοσταί, καὶ
Ὕπατοι· οὐδ' οἷον ἐν οἰκίᾳ πενιχρᾷ οἱ αὐτοὶ ὀψοποιοί, οἰκουροῦσι, στρων-
νύουσιν, οὐχ οὕτως καὶ ὑμεῖς ἀνεμίξατε, ἀλλὰ τὴν ἐπιμέλειαν
καὶ προστασίαν τῶν κοινῶν λαμβάνουσιν οἱ παραπεμφθέντες
ὑπὸ τῆς φύσεως ἐπὶ τὴν πρύμναν τὴν ἀνωτάτω, καὶ ἐγκα-
τατετριμμένοι ἐν πολιτικοῖς πράγμασι. τοιγαροῦν τὴν Λακε-
δαιμονίων αὐθάδειαν ἀτείχιστον περὶ πλείστου ποιοῦντες, τῆς ὀχυ-
ρώσεως κατεφρόνησαν, μὴ οὕτω γένοιτο κακῶς τῇ πόλει· ἀλλ'
ὑπὲρ τῶν τειχῶν ἐβουλεύσαντό τε, καὶ ἐπενοήσαντο. οὐ μέντοι ἀλ-
λὰ τειχήρη ἂν προσείπῃ τις τήνδε πόλιν κατὰ τὴν Βαβυλῶνος
λαμπρότητα, ἢ εἴ τις ἄλλη σεμνότερον ἐτειχίσθη πρότερον, ἢ ὕστε-
ρον· ἀλλὰ καὶ τοῦτον τὸν τειχισμὸν παιδιάν, καὶ γυναικός, ὡς ἀλη-
θῶς, ἔργον ἀπεφήναντο. τὰ γὰρ ὑμῶν καὶ ἀσφάλτῳ καὶ πλίνθῳ ὀπτῇ
δέδμηνται, καὶ κόνει στιλπνῇ ἔστηκεν· καὶ ταῦτ' ἐστι νομιζόμενα
ἐφ' ἑκάστων τῶν τόπων, καὶ μάλα πολλά, τά καὶ τοῖς λίθοις, ὥσπερ
Ὅμηρος ἔφη τὸν κατ' οἰκίαν τοῖχον, ἅμα καὶ ἀκριβῶς ἡρμο-
σμένα. τούτων δὲ τῶν τειχῶν προασπίζουσιν ἄνδρες φυγὴν οὐ νο-
μίσαντες, ἀνδρείῃ καὶ χειρὶ καὶ ῥώμῃ σώματος ἄριστοι ὄντες,
καὶ θάρσος ἔχοντες, καὶ φρόνημα.

Ἔχω μὲν πολλὰ ἄλλα ἐν τῇ διανοίᾳ, περὶ ὧν μη-
δεμίαν ποιήσομαι μνήμην· ἴστω δὲ ὡς ἐν βραχεῖ πλεῖστον εἰ-
ρήσθω. μόνῃ ταύτῃ πόλεων δύο τἀναντία συμβεβηκέναι.
πλεῖστά τε γὰρ καὶ κάλλιστα ἀνθρώποις εἴρηται περὶ ταύτης, καὶ
οὐκ ἔστιν ἥτις ἐλαττόνων τετύχηκε· πρὸ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων τεθαύ-
μασται, ἄξιον δ' αὐτῆς οὐδεὶς ἤκουσε. πρότερον μὲν οὖν ἠγάμην
ἀκούων τὸ τῆς τέχνης πρυτανεῖον, καὶ τὴν τῆς Βελγίας ἑστίαν καὶ
κειμηλιοθήκην, καὶ ὅσα τοιαῦτ' εἰς τὴν πόλιν ᾖδετο· νῦν δέ μοι
δοκεῖ πάντα ταῦτα εἴσω πίπτειν. ἀλλ' εἴ τινα χρὴ πόλιν θεοῦ
ὑπαρ-

ὕπαρχον ἢ οὐρανιώνων συγγενῆ προσειπεῖν, ἢ τῆς φύσεως τῆς ἀνθρωπείας εἰκόνα καὶ ὄργον, ἢ δ᾽ ἂν μοι δοκῇ δικαίως κληθῆναι. εἴργασται μὲν ἡμῖν ὁ λόγος ἀντὶ τοῦ πέπλου, καὶ τοῦ δοῦναι χάριν τῇ αὐτῇ Θεοτόκῳ, ἥπερ καὶ ἡ πόλις. ὥσπερ δὲ οἱ τῶν διθυράμβων τε καὶ παιάνων ποιηταὶ, εὐχήν τινα προσθεὶς, οὕτω κατακλείσω τὸν λόγον· καὶ δὴ κεκλήσθω Θεὸς, καὶ Θεομήτηρ, καὶ διδοίητω πόλιν τήνδε θάλλειν δι᾽ αἰῶνος, καὶ μὴ παύσασθαι πρὶν ἂν μύδροι τε ὑπὲρ θαλάσσης νέοιεν, καὶ δένδρα ὕει θάλλοντα παύσηται.

L. S.



B 2 Η ΕΡΜΑ-

Η ΕΡΜΑΘΗΝΟΠΟΛΙΣ

ΑΝΒΕΡΣΑ.

Εννεάς Α.

ἈΓαννίφου ἕδος ὀυρανοῦ
Ἠχῆεν νέμων ὕπατε Ζεῦ,
Τριποδιλάλ᾽ Ἄπολλον, τύχε ναίων
Ὑδροχίτωνα βυθὸν Μελικέρτα, καὶ
Ἀγωνάρχη Ὀφέλθ᾽, ἕκας
Σοῦστε πονηρῶν μικρότιμα ἄθλων
Στέμματ᾽, ἀγερώχους κοτίνους,
Εἰαρόθρεμμα μῆλον, σπερίδα σέλινον,
Τετραόρων τε, καὶ κραναὰν πίτυν.

Β.

Πήδημα ἄλλο, σκάμματ᾽ εὔ-
ριστα, καλλίπλουτον ἄστυ
Ἄνβερσα ἐρειδμαίνουσιν ἀγω-
νοθετεῖ, εὖχος ἄρειον. ἐλεῖν φερέ-
νικον δόξαν ἐν ἀκραγεῖ
Μαιόμθυον ἔργῳ πρέπει. οὐδὲν ἀρκεῖ
Πλουτόπολι, Εὐνομιάς τε,
Πασῶν ἀρετῶν ἅμ᾽ ἀνακτόρῳ εἶναι
Κύδους τελείου ἰσογεραιεργε-

Γ.

ρας. τίς μὴ ὡσεὶ ἔξω ἄ-

θλων

θλου χαλκοπαράους δονήσει
Παλλάμβρος ἄκοντας πεντόζῳ;
Μακρὰ δὲ ῥιψάμβρος κρατεεῖν ἀντί-
ων εὔελπις ἀγάλλεται;
Τήνῳ ὡς Διὸς ὄρνιχι θείῳ, ἄλλους
Κόρακας ὀπισθέπλους μου-
σοπόλους ἀκολουθεῖν γνώρισ᾽ Ἀπόλλων,
Μώνῳ ἐπιτρέψας κλεοκοσμέεν.

Δ.

Φαυσίβροτος, ἐποπτὴρ πάντων
Ὑπεριονίδας, πολυβόσκου χθονὸς
Πόλεων βασίλειαν ἀγορεύει
Τήνδε πόλιν. Φρόνιμοι ναέται γὰρ
Μιχθῶσ᾽ ἀστονόμοις ἁμα-
ρύγμασιν, ἐντί τοι ἀφνεοὶ νόῳ ἄ-
γοντες βασάνῳ ἰθυτενεῖ
Πλοῦτον, σοφίαν τε δρέποντες· ὀργαῖς πά-
σαις τρητὸν ἤμειψαν χαδόνων πόνον.

Ε.

Εἰ δὲ ἅμα πολλῷ ἀφένει ἤ-
ρετ᾽ ἐπίδοξον κῦδος, οὐδεὶς
Μερόπων σκοπιᾶς ἐφάψαιτ᾽ αἰπύος,
Ὄλβιος ἔλλαχε γὰρ κορυφαὶ βίου.
Ῥᾷον διψάδα ἄμμον ἁ-
λὸς ἀριθμεῖν, ἢ εὐκόνας, νεοξέ-
στους, χαλκοδαιδάλους, κρη-
κίδα χειρὸς ὑφάσμασι ἀξιάγαστον,
Καὶ χρυσελίκτους, τεχνοβίους γραφάς.

Ζ.

Ὡς Φειδίας ἀγαλματοῦρ-
γος, νοθευμάτεος ἐδωδῆς
Πολυώνυμος ἶσα Μίθαικος, ἀείρς᾽
Ἄνθεα μιξάμενος πλαθάνῃ ἔπι
Παντοῖ᾽ ἑρπετὰ λευκῷ ἅμ᾽
Ἀλεύρῳ, καὶ ὅσσα γλυκίστου ἅδει
Ἀπὸ μέλιτος, τάθ᾽ ὑγροῦ
Ἐλαίου, τεχνοπόλεως κρέσσονας εὗρε.
Πάντες σοφὸν γὰρ, χρῆμα πολῖτ᾽ ἔντι.

Η.

Τίνα θυμὲ ἀλλοδαπὰν πρὸς ἄ-
κραν παραμείβεις πλόον ἐμόν;
Θεμίτως μέγα βρίθειν εὐδοξίᾳ
Συγγενεῖ, ἀνδροδίδακτα ἔχων ἀνά-
ριθμος, μήποτε ἀτρεκεῖ
Καταβὰς γὰρ πόδ᾽, ἄλλοτε ἄλλα πνείει
Ἀτελεῖ δὲ μυρίαν γεύ-
εται ἰδμοσυνᾶν νόῳ. ἔνθα πολίτης
Πάμπολλα εἰδὼς αὐτοκαθηγεμών.

Θ.

Πάλαι ἐπ᾽ ἄκμοσιν πέλω-
ρ᾽ Ὀστείῃσι πρηόσ᾽ ἶσα,
Μονόγληνα ὑπ᾽ ὀφρὺν ἔχοντα δασεῖαν
(Ἄρτεμις καὶ ὀπαδοὶ τρεμέουσιν ἰ-
δοῦσαι) φάεα δεινὸν ὑ-
πογλαύσσοντα, ἀμβολαδὶς κρατίστως

Ῥαιστῆ-

Digitized by Google

Ῥαιστῆρας ἦραν, ἱππεί-
αν, πολυδόκον ἔργον, ἱδρῶτα μελαγχρῶν
Συχνῶς ῥέοντ' ἐκμαξάμενα μελέων,

Ι.

Ποσειδάωνι πωτίσεραν
Τεύχοντα, τέχνης μιματαί,
Μαλερᾷ ἀπειζείοντος ἄχνη πυρὸς
Ἁφαίστου, ὅτε ἀργυρόπεζα Θέ-
τις οἱ φοῦ παλάμᾳ, γόνυ
Δόχμωσ', ὑῷ ἀσπίδα, κρατὶ τετρα-
φάλαρον αἰτοῦσα κυνέαν,
Κνημῖδας ἐπισφυρίοις ἀραρυίας,
Καὶ ἄρραγῆ θώρακα, πανοπλίαν·

Κ.

Τῆνον ἀνένδυσε, ἄργυρον,
Χαλκὸν ἀτειρέα, ἠδὲ κασσίτε-
ρον, ἄπεφθον χρυσὸν ἔχευε πυρί.
Αὐτὰρ ἔπειτα ἐπ' ἄκμονι νωλεμὲς —
Μυδρὸν τύψατο χειρὶ πυ-
ράγραν γένθ', ἑτέρα κρατερὰς ἔδραξε
Ῥαιστῆρας ἀσπίδα ποιή-
σας στιβαρὸν ἐν αὐτᾷ πραπίδεσσ' ἰδυίαις
Δαίδαλα γλύψ', ὡς Μαιονίδας ἔπει.

Λ.

Θνητοῖσι θνητὰ πρέπει, τὰ μά-
κρ' εἴ τις ἀμβλέπει μικρὸς χαλ-
κόπεδον ψαύειν θεοῦ ἕδραν. ὅτι

Πάγα-

Digitized by Google

Πάγασος ὠκυπετὴς περιπετῆ ἐξε-
τετραχήλισεν ἔφιππον, ἐ-
ρῶντ' ἐς οὐρανοῦ ἔρεφος μετελθεῖν
Ὁμάγυριν Διὸς Βελ-
λεροφόνταν. ἀφάνειά ἐστι τύχας μὲν
Πρὶν ἄκρον ἐνθεῖν μαρναμένων τέλος.

M.

Τῶν γὰρ δίδοι τέλος, καὶ ἀν-
δρῶν ἀρχίον ἔσφαλλ' ἠπιό-
νων τέχνα περιπλύξαισα. ἐντύ-
χοιμεν ἐπιρρεπέων μοισᾶν ἄψ-
αι, ὕμνων θελξίφρονα
Πυρσὸν, ὀλισθὴν πατέω ἀταρπὸν,
Εὔελπις αὖτα θίγειν
Σκοποῦ ἔμμι. κράτιστον δαιδαλοχείρων
Ὑμνῶ, Βρεδαῖον Βόλφγαγγον ὤνυμα.

N.

Πολλοὶ διδακταῖς ὤρεγον
Τῶν ἀρεταῖς φώτων ἑλέσθαι
Κλέος. ἀλλ' αὐτὸ δαίμονος ἐπικαυ-
θὲν γ' οὐ χρῆμα ἕκαστον ἔη σκαιό-
τερον. μηκοχρόνως προβι-
οῦντες κόλαψαν δελτολειόγλυπτον,
Δαιδαλόεν ἔργον, τεύξον-
τες ὅρμους, ἕλικάς τε γναμπτὰς, κάλυκας, ἃ
Ποίκιλλ' Ἀχιλλῆ εἰλιπόδης θεός.

Βόλφ-

Ξ

Βόλφγαγγος αὐτὴν (νοοφύει
Λῆμμα ἐργότρηερον ἀλφα-
τὴς) κηρόσεργον, τρεχεγλυπτόδεκτον,
Λειόπλακ᾽, αἰολομορφότυπον, ταχυ-
γραπταῖς θέσκελον, εὕρεμα
Ἀψόφητον, πανερδεὲς τέχνημα.
Πολλ᾽ ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
Πτερόεντα βέλεμνα ὑπ᾽ ἀγκῶνος εὐ-
φωνᾶντα οἷοις πευκαλίμοις φρένας.

Ο.

Ἔγω γὰρ ἀγλαόθωκον ἄ-
στυ, νεοσιλβοῦσιν ἐπιφλέξας
Μέλεσι, καὶ ἀεροιποτήτου ἵπ-
που, ναὸς ἠδὲ λινοπτέρυγος παν-
τᾷ διαγγέλλων ἰθυνῶ
Μῦθον, εἴπερ σὺν χαρίτων πεπρωμέ-
νῳ χειρὶ δρέψω κᾶπον.
Πανεπισκόπου αἰπὺ ἀσκαρδάμυκτον
Ὤρεων θεόπτα σφωϊτέραις τύχαις.

Π.

Εἰ γάρ τιν᾽ ἐσθλὰ περιρρέῃ
Ξὺν βραχεῖ κόπῳ, δοκεῖ πε-
δαφρόνων ἀμότοις ἐχέθυμος, βίον
Καζέμεν ὀρθοβόλοις μελετήμασι·
Ἐν τοῖς γούνασι δ᾽ θεοῦ
Κεῖται, ἄλλον ἄλλοτε ἐξεπῆρε

Ἄλλον δὲ ὑπὸ αὐτάλκης
Κατέβαλε μέτρῳ. ἀγαθὸν δὲ ἄγαστον
Τὶς ἐκπλαγεὶς, ῥίμφ' ἀβρότατος ταίνυ

Ρ.

Ἐπὶ μείζω ἐλπίδ' αἰωρεί-
αις ὑποπλέροις, ἔχων με-
ρίμναν φιλοκτήμονα ληΐδος αἰ-
σαν. βραχυώρειον αὔξεται ἀνδρομέ-
α χλιδή, οὕτω ἀφαρ
Εἰς ἔροαν πιτνεῖ φροδιᾷ σεσεισμέ-
νη θεοῦ ἀποτροπαῖς.
Εὐμαρὲς εἴη ἂν καταπλύσοις ζάθεον
Τεῖροι πόλισμα· ἀλλὰ δὲ δυσπαλὲς

Σ.

Παλίνοστον ἐξαπίνας ἔσται,
Εἰ μὴ ἄστεος γένηται
Ἀστοπρυτάνεσιν ὀρθωτὴρ θεός.
Συνναέθλοι ἔτυχον δὲ ὑμῖν πολέ-
ωροι ἱεραὶ ἰώνες. ἔ-
πη τρία ἀρκέσει ἐς συνώνυμον δί-
καν. ἀρχά, ἔργων τέλος, αὔ-
ξεται ὄρσαντος θεοῦ, σὺ πιστὸν δέχθη
Ἔμμεν θεοῦ ἄκρον τέλος αὐτεξε-

Τ.

φοντος. νόῳ ἀλαθεῖ αὐ-
δάσομαι ἐνόρκιον λο-
γον. Ποικίλα εὐτελίας ἐπάγη

Αἰδίυ τεκμήρια. δήποθεν
Σαλάχθη καλὰ ἄστεος.
Εὐξόανον πόλιν δρᾶκε. Ἀνδριάντα
Χειρῶν κρατοῦντα μάνας,
Ἀκτινοστεφῆ ἀελίωτε κάρη.
Λαιᾷ δέπας, καὶ κνώδ᾽ ἑτέρᾳ, Κέρας

Υ.

Σκαιᾷ Ἀμαλθείας, ζυγὸν
Δεξιᾷ ἄραντα ἄλλον.
Παρατείναντα ὄφει βωμόθεν ἕρ-
ποντι κρατῆρα. ναὸν χαρίτων θεοῦ
Γέμοντ᾽ Ἄνβερσαν, τρανές.
Ἄμπαυσις δ᾽ ἀρέσκει ἅπαντ᾽ ἐν ἔργῳ,
Καὶ μέλι κόρον τοκεῖ. Παρ-
θενομᾶτερ ἐλευθέρῳ ἄστυ στόλῳ κο-
μίσσαι, Πολιούχοις σὺν ἀτειρέσι.

L. S.

ALLOCVTIO
AD
ANTVERPIAM.

שיר ראוי

אשר אנוירשח במעט מגנוך מתן
צידה ועונשת קרב סחרים צדק
ודת מזהירה למעבד את-יהוה מתן
חרוג חיתו יער בבון וסחרת
ובמילחמה ליהוה והעצה
סגוד את-קדוש על ארצה בחלות שפל
כל-גוות אוסף בראש תהלה להב
באור שריבניהו על כל-רם אחרם אשר
נפוצי להיכנס טריח בהגלה
בחדר באור שמש הערי מנהרת

Digitized by Google

Η ΑΥΤΟΤΑΤΗ
ΠΡΟΣΡΗΣΙΣ
ΕΛΛΗΝΙΣΤΙ.

Ὅσα πάλαι, Ἄνβερσα, τεὶν προσέθεντο Ἀμοιβῇ,
Ἄρτεμις Ἀντάιη, Ἑρμῆς, Ἄρης τ' Ἀδρασείη,
Εὐνομίη Θέμις, Εὐσεβίη (Πανδώρη ἑάων)
Θηρσὶ λόχον πῆξαι, ἄφενος, δηρεὶν τε ἀμεμφῆ,
Εὔφρονα βούλευσιν, θεοκραντ' ἀρετήν τε λατρείας·
Πάντ' ἄμμυδις, πασῶν κορυφὴν δρέψας ἀρετάων
Σχειβανός, ἡμιθανεῖ ἐπέδω αὐχήματα βίβλοιν.
Τόσσον δὴ ἄλλων προφερέστερος ἔλλαχεν ὄχος·
Ὅσσον ἔχει διελέντα χρόνῳ ὀπάσαι Σωρηδόν.

L. S.

RESPONSIO ANTVERPIAE.

שיר ראוי

אשר מקדם חרזתי מהלי
הערי נתתן שכרם עגבים
מאד טוב עמיריה לשרות ושרי
בבינור התמשמת מליצים
בביתים וכבד לשונו דברי
אורפידיהו ושופר בנעים
לפנדריוש במיצרי לערי
גדולים ורמי לשבע גבעים
אתינה תבייה לעזרה יקרי
פדות בית ואתז בכז אב ספרים

Digitized by Google

Η ΑΥΤΗ ΑΠΟΚΡΙΣΙΣ
ΤΗΣ ΑΝΒΕΡΣΗΣ
ΕΛΛΗΝΙΣΤΙ.

Ὅσα πάλαι Μουσῶν ἱεροῖς κοσμήτορες ἀστέων
Δῶρα μελιγδούπου θῆκαντ' ἰσόρροπα κόσμου,
Εὐκελάδῳ Μουσῶν Χαρίτων τε φάρυγγι Ὁμήρῳ,
Κύκνῳ δ' ἐπέως πνείοντι Μάρωνι Λατίνων,
Γνωμοτύπῳ Εὐριπίδῃ, ἄλφα λυρῶν Ἑλικῶνος
Πινδάρῳ ἠϋκόμων σκυτάλῃ Μουσῶν, ἅμ' ἀώτῳ,
Καρτεροθύμου Ἀλεξάνδροιο φερώνυμον ἄστυ,
Ἑπτάλοφος Ῥώμη, καλλιστώδινες Ἀθῆναι,
Ἑπτάπυλος Θήβη, ἄλκαρ, δόξαν, λύτρα, οἶκον·
Τόσα Σκριβανῷ ἐπήρα φέρω Ἄνβερσα.

L. S.

ΤΩι ΠΑΤΡΙ
ΣΚΡΙΒΑΝΙΩι
ΤΩι ΤΗΣ ΑΝΒΕΡΣΟΠΟΛΕΩΣ
ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΗι.

Πολλάκις Ἀδβατικῶν πόλιν ἔδρακον ἀγλαομόρφην,
Ἀμφὶ δὲ τῆς αὐτῆς τὴν Σκριβάνοιο γραφήν.
Τέκτονές εἰσι μόνον κλυτὰ δώματα οἰκοδομοῦντες,
Ζωγράφοι ἔκτοθεν ζωγραφέουσι πόλιν.
Σὺ δὲ πολιτάων νόον ἔγραφες ἀγκυλομήτην,
Μείζονα τῶν ἐκτὸς σοῦ βίβλος ἐντὸς ἔχει·
Ὅττι γε τὸ πρότερον κάλλιστον ἔοικεν, ἀληθῶς
Κάλλιον ἐκ τούτου γράμματος ἄστυ πέλει.

G. S.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

ORIGINES ANTVERPIENSIVM.



UNIVERSIDAD BIBLIOTECA DERECHO

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. X.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

S E N A T V I
P O P V L O Q.
A N T V E R P I E N S I.

ANTVERPIAM dederam. nec alia mihi verior quàm illa quam dederam. neque enim mœnibus, aut longâ ſæculorum ſerie metiendas vrbes arbitrabar. ciuium virtus ciuitatem claram dabit. Virtutem ergo dederam, quæ vna nomen donat, cùm ſenium neſciat, perſtétque poſt cineres & fauillas: neque vlla orbe toto ſignatior Phœnix. Hæc illa eſt, à quâ vnâ decus verum, perſtâtque immota in continuâ ſolidæ laudis prærogatiuâ. Quidquid extra hanc eſt, leue eſt; mutatur, non in me-

Digitized by Google

lius, ſed in aliud, & ferè in deterius. At illa ſtat in gradu, quidquid demum incurrerit: neque deteriorem facit dura & difficilis, vt nec meliorem hilaris aut læta materia: cùm quidquid attigerit, aſperum aut tenerum, in ſimilitudinem ſui adducat, ac tinguat: ſint ſcabra, illius leuigatione molleſcunt, tenuia roborantur, reuocantur obliqua, curuata explicantur, adeóque aliter nata finguntur in melius. Iam quid in humanis clarum magnúmque eſt, quod cum hac componi poſſit? minora lumina claritas obfuſcat Solis: & Virtus luce ſuâ, quidquid extra illam affulſerit, tenebrat; ac magnitudine quadam ſuâ, quaſi ſuperiectu montis, omne magnum elidit & opprimit. Hæc cauſſa, cur vbi vos Rempublicámque veſtram circumſpexi, ad ſolam virtutem, ingeniíque felices partus; deſcen-

deſcenderim. Videbam namque illâ vnâ firmari mentes, ſupráque omnia metuenda extolli. paupertatem, exilium, tortorem ſi ponerem, nuſquam palleſcere, nuſquam refrigeſcere artus: quin contrà attollere oculos, conferre vultum, & totam etiam fortunam prouocare orbe ſpectatore. Magna hæc. & non ſola magna? At verò illa quæ extra hominem ſuum ſunt, tenuia ſunt. ſi abſunt, deſiderio fatigant: ſin acceſſerint, amittendi formidinem ingerunt; inflántque inanibus, & tamquam vento diſtentis mentiuntur opimam valetudinem. Excute quod inflat ad initia ſua ventum, miſeram oſtentabit maciem; nec aliud quàm oſſa vix pelle ſuâ veſtita. Quòd ſi propiùs etiam omnem fortuitorum poſſeſſorem luſtraueris, deprehendes trepidantem, & tamquam inter armatos hoſtes, huc illuc

 circum-

circumſpectantem,& ad omnem ſtrepitum circumagentem verticem. occurrunt enim hinc in exilium acti, euoluti bonis, naufragi, ſimiliáque naufragis paſſi; & vt aues deciduorum foliorum frondiúmque ſtrepitus territat, ita ad omnem ictum trepidat quicumque ſe fortunæ credit: è quâ ingens perpetuò perturbationis materia. Cùm enim fugaciſſima illius ſint munera, quæ nunc ſolo oſtentatorio aut nudo promiſſorio finiuntur verbo, nunc ſi acceſſerint deſerunt, ſin ſteterint minantur tamen abitum, fit vt nulla beatitudo ac ne felicitas quidem ineſſe iis poſſit. nihil enim beatum, niſi quod intrepidum: inter namque ſuſpecta & diffidentiæ vortices, nec tutò, nec in pace, nec benè viuitur. Beatam vis vitam? excute hunc metum pectore: miſerè enim viuitur, vbi perpetuò

palpi-

palpitantibus præcordiis viuitur: excuſ-
ſeris, ſi te ſuperiorem his feceris; facies virtutis manibus, quæ te ſolæ extra metuenda locare poſſunt. Hanc virtutem, & hoc virtute firmatum pectus, in multis veſtrûm videram. nec ſatis mihi vidiſſe, & gaudio hoc meo pauiſſe mentem; plures volui ſpectatores, admiratores, laudatores. Ergo deduxi in hanc calami mei ſcenam, quidquid multis annis ſerius obſeruator videram.

Hæc prima ſcriptionis meæ cauſſa. fuit & altera. Euocare volui viros magnos in æmulam vrbium ſuarum commendationem. ſcio has mereri, ſcio illos poſſe. & ſilentium, vtrumque premit; in illis gloriam, in his calamorum decus. vidi, & indolui. quare hoc dexteræ proritamento, euoco in gemellas laudes. agnoſcam beneficium ſi extorſero; ſi in pares

aut

aut maiores vrbium ſuarum tamquam matrum commendationes extruſero. Non deerunt qui conatum damnent, & fors inclament Phaëtonta. at meminerint conatum hunc amoris eſſe, & beneuolentiæ in me veſtræ, obſequij in vos mei. Erunt qui tot vnâ in vrbe mirentur laudes.Plinium cogitent: quantus in vno Traiano? quàm nobili panegyrico vnius æternauit nomen? quod ille in vno Imperatore, cur erubeſcam in tot Belgis,in Republicâ magnâ?virtus illum, factáque fortia; nec Imperatoriis inferiora prouocarunt me in chartam & atramentum. & perennabit Traiano, ab illius potiùs calamo, quàm à tot proſperè pugnatis bellis, decus immortale. à meo quis ſcit an victura hæc Reſpublica? hoc voueo: nec vt reſpondeat modò tam variè à me dictis, ſed & ſuperet creſcentibus

bus cum laude rebus, omni calamo maioribus.

Hîc aliquis nouus ſupercilio Cato: Quid neceſſum hæc propalare? non erat minor virtus parietibus ſuis tamquam liberali cuſtodiâ coarctata, quàm intertextis publicata floribus. Fallitur. totus hic contextus virilis eſt, & ſi quid ornamentorum, è re ipsâ natum eſt. Sed neq. hîc aliunde accerſitis pigmentis lectorem tamquam emptorem fruſtramur: maiora inueniet quicumque intrauerit; ac præter ea, quæ hac nunc manu meâ in fronte & oculis omnium ſuſpenſa ſunt, locupletiora. De ipsâ verò virtutis propalatione hoc dico: noluiſſe eam diutiùs tegi. Et verò aperto viuere oſtio ac ſine ianitore virtuti proprium. neque enim reformidat aſpici & deprehendi ſolitaria. quin imò turbam non admittit

modò, ſed & aduocat interdum; & ferè proprium hoc conſciẽtiæ bonæ eſt: cùm mala etiam ſolitudine ſuâ anxia & ſollicita ſit; abdatur licet parietibus, ſeipſam timet, & domeſticum hunc ſi poſſet teſtem fugeret. Contrà, conſcientia, à virtute, bona, publicari gaudet, & nonnumquam etiam deſiderat, multorum bono. Quid, quòd non raro dum ſilentium captat, & ſuo ſibi ſecreto gratulatur, prodatur etiam nolens. idem enim huic euenire videmus quod flammæ: iacere non poteſt; quantóque plùs depreſſeris, tantò animoſiùs ſurgit, ſupráque depreſſorem ſuum ac quæcumque ſuperiecta, audaciùs quò repercuſſiùs, ſeſe extollit.

Habetis cauſſas ANTVERPIAE à me in laudum & honoris theatrum deductæ. Poteram minora ſpectanda proponere.

nere.ſed quem delectent humilia & parua? Magnarum verò rerũ ſpecies quem non ad ſe vocet & alliciat? me ſanè quò res grandior, eò animus in exhibitionem maior. nã in minoribus quis animo paullo ardentior calamum & chartam terat? quis in non victuris ingenium ponat? excelſa ſint nec omnibus obuia, quæ irritent manus. Idem in omni re inuenies. ſic nemo diſcat, quo modo, ſi qua neceſſitas compulerit, in roſâ iaceat: ſed in hoc duratur, vt tormentis non ſubmittat fidem. Ad mollia illa nulli non mens pectúſque promptum: ad aſpera, ad immitia, ad æternatura animus parandus. Idem per omnia videbis in laude: nullo opus conatu in re obuiâ, nec quiſquam in tenuibus vitam quærit. ſcit illam non poſſe in his perennare. Magna enim neceſſum ſint quæ æternent, & à

quibus etiam poſt capulum viuitur.

Verùm, qui plurimorum in Rempublicam affectus, non ſatis fuit plauſum ab ingenio veſtro, (à quo ſolo vti dixi laus vera) ſperaſſe, retuliſſe; voluerunt, & à mœnibus: & quidem ab eodem calamo. atque hæc ipſa extra hominem ſuum poſita, oculóſque blando ludentia faſcino, quæ non tam bonum arguunt, quàm, vt ita dicam, condiunt & oblectant, cùm placere videam non vni è plebe, ſed è laticlauis noſtris, pareo. Quidquid ergo hîc extra animum eſt, totámque quã videmus ANTVERPIAM, ad originem ſuam deductam, ſubiiciam oculis. dabo in maioribus, dabo natam, prætextatam, ac in virili togâ ſtantem. dabo in altâ pace nec laceſſitam, dabo bellantem & reparatam ſanguine. aduerſis dein & extrema minitantibus ſuperio-

rio-

riorem; in tutum denique patientiâ & fortunâ ſuâ eductam: ita ferè magnis rebus, ſi quid interuenerit grauius, gloriæ potiùs, quàm dedecoris materiam præbet. exaſperantur, fatigantur; ſed in nouarum viriũ repaſtinationem. & quamuis liuores imprimantur, nulla tamen vulnera depaſcunt intima. Quòd ſi quæ etiam ad ſumma properantibus nubium more intercurrant, infrà feruntur, numquam diem vincunt.

Carolus Scribanius.

INDEX CAPITVM.

1. BELGIVM, *quæ veteribus Prouincia: quibus maioribus populiſque culta.* 15.
2. BRABANTIA. *Fortia prouincialium facta, victoriæ partæ, acti triumphi.* 31.
3. *Aduatici, Ambiuariti: & cuius Prouinciæ pars aliquando Antuerpia.* 49.
4. ANTVERPIA. *Ætas huius, ad Northmannorum excurſionem relata. Qui Northmanni; ac vaſtitas per eos illata. graui demum prælio victi.* 54.
5. *Nomen Antuerpiæ. reiectæ opinationes & Gigantum fabella.* 58.
6. *Marchionatus Antuerpienſis.* 67.
7. *Arx ſiue Burgum: perantiquam videri. Oppidi incrementa.* 69.
8. *Frequentia. ciuium multitudo. ingens negotiatio.* 72.
9. *Aduerſa vrbi.* 76.
10. *D. Virginis ædes, reliquæque vrbis parœciæ.* 80.
11. *Virorum Cœnobia, aut loca Religioſa.* 90.
12. *Feminarum Cœnobia, aut loca ſacra.* 106.
13. *Hoſpitalia. Pauperum receptacula.* 110.
14. *Varia in vrbe loca, quæ famam merentur.* 118.
15. SENATVS *Populuſque Antuerpienſis.* 128.
16. *Militaria ciuium Collegia inſtituta, hodieque perſeuerant.* 153.

VOTVM *pro* REPVBLICA. 156.

CARO-

CAROLI SCRIBANI
E SOCIETATE IESV
ORIGINES
ANTVERPIENSIVM.

CAPVT PRIMVM.

BELGIVM, *quæ veteribus Prouincia: quibus maioribus populiſq; culta.*

INGENS olim Prouincia, latè patens, frequens, variuſque populus Ptolomæo, Cæſari, Plinio, Tacito: qui illius terminis quà longiſſimè patet,includunt *Aduaticos, Ambianos, Ambiuaritos, Atrebates*; *Batauos, Bellouacos*; *Caletes, Cyreſos, Centrones, Condruſios*; *Eburones, Eſſuos*; *Gordunos, Grudios*; *Leuacos, Leucos, Lingones*; *Mediomatrices, Menapios, Morinos*; *Nemetes, Neruios*; *Pæmanos, Pleumoſios*; *Rauracos, Remos*; *Seguos, Sueſsiones*; *Treuiros, Tribocos*; *Vangiones, Vbios, Verocaſſes*. Hos Cæſar. Ptolomæus addit *Vlbanetes*; Plinius *Cauchios, Friſios, Friſiabonos, Heſſos, Oromanſacos, Sueconos, Sturios, Taxandros*; Tacitus, *Bethaſios, Caninefates, Grinnes, Huger-*

nes,

nes, Mattiacos, Marſacos, Sunicos, Tungros. Vniuerſi hi longè lateque per Belgicam primam ſeu ſuperiorem, per ſecundam ſeu inferiorem, diſpertiti. Primam incoluere Treuiri, & quidquid ſupra ad oſtia ſe protendit Rheni Alpes ad vſque: reliqui ſecundam. Nunc anguſtioribus ſepta terminis, omnique adeò ſuperiore Belgica exuta, magnaq; inſuper ſecundæ Belgicæ parte defraudata, ſeptemdecim orbe toto notiſſimis arctatur Prouincijs.

Caſar de bello Gall. lib. 2.

Quòd ſi ad originem ac incunabula vniuerſam gentem deduxeris, *pleroſque* comperies *Belgas eſſe ortos à Germanis; Rhenumq; antiquitus tranſductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe: Galloſq;, qui ea loca incolerent, expuliſſe.* quamquam *Germania vocabulum recens & nuper additum: quoniã qui primi Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerunt, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſunt.* Inde Cimbri Teutonique, *qui cùm iter in Italiam facerent, his impedimentis quæ ſecum agere ac portare non poterant citra flumen Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis* VI. *millia hominum vnà reliquerunt.*

Tacitus de ſitu & moribus German.

Caſar de bello Gall. lib. 2.

E Germanis ergo Galliſque Belgæ, è potentiſſimis duobus populis, in validum corpus coaluere; vt & duritia Germanica, & mens Gallica, magnum aliquid orbi darent: cùm quidquid haberent delecti roboris, in Belgas ſuos, tantorum patrum generoſam ſobolem, lubentes volenteſque tranſ-

transfunderent. Quæ etiam cauſſa, cur non putauerim tranſeundos hîc Germanos Galloſque illaudatos: nam & patrum laus abit in poſteros, maximè ſi reſpondeat virtus; ac generoſo ſemini par aut generoſior innaſcatur frutex. Ac de Germanis vniuerſis fortiter Tacitus: *Cùm ventum in aciem eſt, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Iam verò infame in omnẽ vitam ac probroſum ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt.* In quâ aliâ gente paria, in Principe, in milite? *Probroſum in omnem vitam Principi ſupereſſe,* quos nõ ſtimulos addat in omnem virtutem? Iam quæ natio alia *fortia quæq; facta ſua Principis gloriæ aſſignauerit*? Hoc eſt ſuo ſe ſpoliare, Principem veſtire; illius gloriam ſuam putare, nec aliam quàm illius agnoſcere. Agnoſco modeſtiã, agnoſco affectum; & faueo tibi gens valida, non amore in Principem quàm robore minor. *Tacitus de morib. German.*

Atque hæc de omnibus: venio ad deſignatos in tam laxâ gente. *Catti* mihi primi. *Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus, & maior animi vigor. multum rationis & ſollertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; quodq; rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ cõceſſum,* *Tacitus de morib. German.*

Cc plus

plus reponere in duce quàm in exercitu. Poſſet à Romano homine de gente ſuâ maius aliquid? *dura corpora, rationis multum, ſollertiæ ac parentiæ plurimum, plus in duce quàm in exercitu reponere.* Hæc qui faciant, qui poſſideant, quantos arbitrabimur?

De morib. German. De *Tencteris* idem Tacitus: *Super ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinæ arte præcellunt; nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum* ingens gloria.

Ibidem. De *Chaucis* etiam maiora: *Populus inter Germanos nobiliſſimus, quiq; magnitudinem ſuam malit iuſtitiâ tueri. ſine cupiditate, ſine impotentiâ, quieti ſecretiq;, nulla prouocãt bella, nullis raptibus aut latrocinijs populantur. Idq; præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quòd vt ſuperiores agant, non per iniurias aſſequuntur. prompta tamen omnibus arma; & ſi res poſcat, exercitus plurimum virorum equorumq;: quieſcentibus eadem fama.* Hoc viri eſt non modò in altâ barbarie, ſed in ſummâ Chriſtianitate; arma iuſtitiâ, iuſtitiam armis tueri, nec extra illã arma noſſe. Tranſeamus ad *Cimbros Teutonoſq;.*

Velleius Paterculus lib. 2. *Tranſiere Rhenum, multis mox* Romanorum, *ſuorumq; cladibus nobiles.* Propiùs hæc Tacitus; *Eumdem Germaniæ ſinum, proximi Oceano Cimbri tenent: parua nunc ciuitas, ſed gloriâ ingens. veteriſq; famæ latè veſtigia manent, vtrâq; ripâ caſtra, ac ſpatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manuſq; gentis, & tam magni exercitus fidem.* Sexcen-

Tacitus de morib. German.

teſimum

teſimum & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat; cùm primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cælio Metello & Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi alterum Imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducēti fermè & decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui ſpatio, multa inuicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hiſpania Galliæve, ne Parthi quidem ſæpiùs admonuere. quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædem Craßi, amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Caßio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio, fuſis vel captis, quinque ſimul Conſulares exercitus populo Romano, Varum tréſque cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impunè C. Marius in Italiâ, Diuus Iulius in Galliâ, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium verſæ. Ducentis & decem annis *Germania vincitur,* ac ne vincitur quidem. tot enim annis dubio plurimùm Marte pugnatum. & eſt ſeruitutis impatiens Germana virtus: mori potuit, & libera cadere, non ſeruire integra. hoc demum magnæ mentis ingens teſſera eſt, mori poſſe, ſeruire non poſſe.

De *Cheruſcis* & *Arminio* Principe audiamus Tacitum: *Arminius abſcedentibus Romanis, & pulſo Maraboduo, regnum affectans, libertatem popula-* *Annal. lib. 2.*

rium aduerſam habuit: petituſq́ armis, cùm variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit; liberator haud dubiè Germaniæ; & qui non primordia populi Romani, ſicut alij Reges Duceſq́, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit, prælijs ambiguus, bello nō victus, ſeptem & triginta annos vita, duodecim potentia expleuit: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi. Hic ille Arminius, *caſi Vari, trucidatarumq́ legionum trium, totidemq́ alarū & ſex cohortium* victoriâ ad internecionem nobilis, haud procul *Teutoburgenſi* ſaltu, qui etiam nomen retinet, Romanâ illuſtris clade, & victoriȩ cognomine campus inclytus *VVinfeldt*, ad oppidum Hornam in VVeſtphaliâ: hic ille, à quo *Cæcina qui quadrageſimum iam tum ſtipendium parendi aut imperandi habebat, cum quadraginta cohortibus Romanis tantum-non caſus eſt. ac ni proiectus in limine portæ caſtrorum, miſeratione, cùm per corpus legati eundum eſſet, clauſiſſet viam*, cæſus caſtriſque exutus fuiſſet. Hic ille, qui contra Germanicum, *manu, voce, vulnere ſuſtentauit pugnam à quintâ horâ diei ad noctem:* quique die altero auſus eſt conferre manum, *conlato gradu* vario euentu, cùm *hinc à tergo palus Romanos, flumen autem hoſtes clauderet.* atque inde *vtriſque neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus ex victoriâ: nec minor Germanis animus, imprompto licet Arminio ob continua pericula, & acceptum vulnus. quin & Inguimerum totâ volitantem*

Vell. Paterculus lib. 2.

Tacitus Annal. lib. 2.

tem

tem acie fortuna magis quàm virtus deſeruit. Magni viri, Principes magni, ſi laudator accedat, qui tam alienæ, quàm virtutis ſit propriæ,admirator, prædicator.

Iam Cæſar in Philippicis campis, in quibus Vrbis, Imperij, humaníque generis fata commiſſa inclamant,quorum manibus victoriam retulit? quorum auſu Pompeianis deſtinatum triumphum, vertit in interitum? *Germanorũ* nimirum *cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, vt illi eſſe pedites, hi venire equites viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus,leuis armaturæ ruina comitata eſt: tunc terrore latiùs dato, turbantibus inuicem copijs, reliqua ſtrages quaſi vnâ manu facta eſt.* *Florus lib.4.c.2.* Ergo Germanicæ cohortes,Pompeiani robur exercitus equitem loco pepulerunt, ac in effuſam fugam: & quod miraculo proximum, equitem pedites:inde tamquam turbine reliquus impulſus exercitus,quantam deſtinato Magni Pompeij imperio ruinam dederit; quàm latam ad illud Cæſari viam ſtrauerit, quis ignorat? In bello deinde Alexandrino, *equites Germani diſperſi, vada fluminis quærentes, partim demiſſioribus ripis flumen tranſnarunt; & legionarij, magnis arboribus exciſis, quæ longitudine vtramque ripam attingerent, proiectis,repentinoq́; aggere iniecto,flumen tranſierunt. quorum impetum adeò pertimuerunt hoſtes, vt in fugâ ſpem ſalutis collocarent: ſed id fruſtrà: namque ex eâ* *Hirtius de bello Alexandrino.*

fugâ, pauci ad Regem refugerunt; penè omni multitudine interfectâ. victoriæ proinde Cæſari initium, vt in Philippicis campis à pedite, ſic in Ægyptijs ab equite Germano. Felicem Cæſarem Germano milite, cuius manu vincere potuit!

Ammian. Marcell. lib. xv. Venio ad Gallos. *Ad militandum omnis ætas aptiſſima: & pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur, & adultus, gelu duratis artubus & labore aſſiduo multa contempturus & formidanda. Nec eorum aliquãdo quiſquam, vt in Italiâ munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præſcidit, quos iocculariter Murcos appellant.* Etiam in ſenibus viuida virtus, & in extremâ ætate iuuentæ robur. turpe vinci in ipſo propè capulo ab ætatis flore. Quid hæres? Semper Galli florent, ac in æterno ſunt robore, iuuenes, ſenes. nulli hîc Murci. vincere aut mori, ea demum gloria eſt. ac *Gallias primùm à Domitio Fabio nepote Paulli, qui Allobrogicus vocatus eſt, intratas cum exercitu accepimus; magnaq́; mox eaſdem clade* Romani *affectarũt & amiſerunt.* Euocemus vetera. Nam & *vrbem, igne, ferro, manibus, ſolo æquatam* legimus; & cum Dictatoribus ætate ſuâ primis, magnâ vtrimque datâ acceptâq. clade, depugnaſſe: in agro Albano cum *M. Furio*, in ipſâ propè portâ Colinâ cum *Q. Seruilio*, cum *C. Sulpitio*, ancipiti diu euẽtu; ac *Camilli* non tam virtuti quàm inexſpectatæ rei ſuperuentu ceſſerunt. Cum *Q. Fabio* & *P. Decio* pugnarunt vt viros

Velleius Paterc. hiſt. lib. 2.

Florus anno vrbis 361.

viros decuit, cùm *caſa ex Decij exercitu ſeptem millia; ex Fabij mille ducẽti*. ac ni *Samnites præter aciem Gallorum, relictis in dimicatione ſocijs ad caſtra effuſo ſe contuliſſent curſu*, ingens accepta clades fuiſſet, quæ alterum *Cannenſe* nomen dare potuiſſet. Taceo *Flaminios, Marcellos, Aenobarbos, Manlios, Valerios*; cum quibus variè pugnatum. Quid referam *prælium nõ modò præſentibus viſu, verùm & ceteris auditu horrendum*; in quo cùm *Attilius* Cõſul cecidiſſet, *Aemilius* vicit? quid Camertinorum agrum, quid Aretinum, in quo *Lucius* Conſul; quid Feculanum, in quo *Romanorũ ſex millia deſiderata, reliquis fuga dilapſis*? Quid *Hannibalis* victorias, quæ ferè Gallorum virtute partæ? nam cùm apud Trebiam Sempronio Cos. *pauci ex Afris Hiſpaniſq; cecidiſſent, plurimi ex Gallis*, tanti agminis ductoribus victoria concedi debuit. & apud Cannas cùm *ex Afris Hiſpaniſq; vix mille quingẽti, è Gallis quatuor circiter millia deſiderati*. Hi nimirum primi, hi exercitus duces, quorum ſanguine victoria parta. Spectarunt Carthaginenſes, ſpectauit Hannibal, vicit Gallus, magnumq; nomen Hannibali dedit: apud Thraſimenum verò Conſul ipſe *Flaminius à Gallis circumuentus occiditur*. in quâ pugnâ cùm *ex vniuerſo* Hãnibalis *exercitu mille dumtaxat & quingẽti* cecidiſſent, *magnâ ex parte Galli fuerunt*. Quid magnum fuit Afro vincere alieno ſanguine? magnũm tamen fuit victoriam

Polyb. lib. 2.

Polybius.

Polyb. lib. 3.

Polyb. lib. 4.

Polyb. lib. 3.

ctoriam illi dare ſuo ſanguine. Iam ille ipſe *Hannibal* cùm iter in Italiam parat, deſtinatumque Romanis fulmen, Saguntino conflatum igne, ab illis fabuloſę altitudinis niuibus, tamquam de cælo rapit, ingenti mox fragore per medias Alpes exercitum in æquum ducturus, *in tantum periculi cum exercitu incidit, vt ab extremâ pernicie* nihil admodum abeſſet, ni obiectu Elephantum Gallos terruiſſet: *ingens tamen hominum & equorum numerus periÿt.*

Polyb. lib. 3.

De bello Africano.

Narrat Hirtius paucorum equitum rem memoriâ digniſſimam. *Accidit res incredibilis, vt equites* xxx. *Galli Maurorum equitum* II. *millia loco pellerent, vrgerént que in oppidum.* audax factum: At neſcio an non à Cæſaris manu priore maius. *Quidam ante portam oppidi Gallus, qui per manus ſeui ac picis tranſditas glebas in ignem è regione turris proÿciebat, ſcorpione ab latere dextro tranſiectus exanimatúſque concidit. Hunc ex proximis vnus iacentem tranſgreſſus, eodem illo munere fungebatur: eâdem ratione ictu ſcorpionis exanimato altero, ſucceſſit tertius, & tertio quartus: nec ille priùs eſt à propugnatoribus vacuus relictus locus, quàm reſtincto aggere, atque omni parte ſubmotis hoſtibus, finis eſt pugnandi factus.* Facinus memorabile: & in mortis pro patriâ contemptu, *Scæuolis, Curtÿs, Horatÿs*, æquandum.

Cæſar de bell. Gall. lib. 7. in oppugnatione Auarici.

De bello Gallico lib. 7.

De vniuerſis verò Gallorum ingenijs quid ſenſerit Cæſar, videamus. *Singulari militum noſtrorum*

virtuti

virtuti conſilia cuiuſq; modi Gallorum occurrebant, vt eſt ſummæ genus ſollertiæ, atque ad omnia imitanda, atque efficienda, quæ ab quoque traduntur, aptiſsimum. Quid Hirtius? *Gallos homines apertos, minimeq; inſidioſos, qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerunt.* Fefellit illos nimia non ſemel virtus. nam ſi quando bello ſuperati, dolo plurimùm aut ſtructis antè inſidijs. *De bello Africano.*

Hìc ſi quis curioſior Germana robora, Gallámque componi velit virtutem, Cæſarem audiat: non potuit ab alio cenſore ſeueriùs, non potuit veriùs.

Fuit anteà tempus cùm Germanos Galli virtute ſuperarent, & vltrò bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agriq; inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Et Tacitus: *Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus auctorum diuus Iulius tradit: eoq; credibile eſt etiam Gallos in Germaniam trãſgreſſos.* At nunc quæ vis, quæ dextera bello potior? nihil dico. eunt in orbem non raro commeantque animi, roboraque ignauo ſæpè otio fatiſcentia; vſu & quâdam potentiorum attritione firmanda. Quidquid fiet, ſtabit illud Taciti: *Soli Galli fraternitatis nomen cum populo Romano vſurpant.* *Cæſar de bell. Gall. lib.6.* *De morib. German.* *Tacitus lib.xi.*

Et Gallorum quidem *fortiſsimi Belgæ.* nemo id potuit certiùs teſtari Cæſare. vt nulli notior ſilicis duritia, quàm qui affrictu didicit, qui vulnera retulit, qui cicatricem oſtentat. Eadem reperies

Lib.xv. apud Ammianum Marcellinum: Gallorum *omnium apud veteres Belgæ dicebantur eſſe fortiſſimi.* & apud Tacitum, Germanicus magnus Imperator, non obſcurus Belgicę teſtis virtutis: *Neq. enim* Libro 1. Annal. *dij ſinant, vt Belgarum, quamquam offerentium, decus iſtud & claritudo ſit, ſubueniſſe Romano nomini, compreſſiſſe Germaniæ populos.* Glorientur Belgæ ſe olim Cæſaris teſtimonio *Gallorum fortiſſimos*; Germanici deinde iudicio, idoneos & validos *ſubuenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos*; & ante illa tempora ſe ſolos, *qui omni Galliâ vexatâ Teutonos Cimbroſq́; intra fines ſuos ingredi prohibuerunt.* Cæſar de bell. Gall. lib. II.

Quid egemus verbis, rebus diuites? Percurramus Prouincias. quis poſſet? paucas aliquot, è quibus reliquas metiamur. Atq. hîc ſi vetera memoriâ repetam, dubitem an vllâ vmquam pugnatum quàm apud Neruios atrociùs: veteranorum enim hîc manus, gradum retrò dedit, ac pudore magis quàm virtute reſtitit. Quare furenti quàm imperanti ſimilior Cæſar, primam in aciem procurrit, propè inermis, cùm nequidquam antè prenſaſſet fugientes, cõfirmaſſet oculis, manibus, clamore: vt non defuerint qui in illâ trepidatione eo Cæſarem vultu dicerent, quaſi occupare manu mortem vellet. Audiamus illum ipſum: *Cæſar, vbi ſuos vrgeri, ſigniſq́; in vnum locum collatis duodecimæ legionis milites confertos ſibi ipſis ad pugnam*

gnum eſſe impedimento; quartæ cohortis omnibus centurionibus occiſis, ſignifero interfecto, ſigno amiſſo, reliquarum cohortium omnibus ferè centurionibus aut vulneratis, aut occiſis, hoſtes neque à fronte ex inferiore loco ſubeuntes intermittere, & ab vtroque latere inſtare, & rem eſſe in anguſto vidit (fugato antè equitatu caſtriſque captis) *ſcuto ab nouiſſimis vni militi detracto in primam aciem proceſſit*, cuius aduentu *paullulùm hoſtium impetus tardatus*. accurſu deinde duarum legionum, quæ impedimentis præſidio fuerant, ac legione decimâ à Labieno in ſubſidium tranſmiſsâ, ceſſerunt Neruij: tantam tamen, Cæſaris confeſſione, *in extremâ ſpe ſalutis virtutem præſtiterunt, vt, cùm primi eorum cecidiſſent, proximi iacentibus inſiſterent, atque ex eorũ corporibus pugnarent: his deiectis, & coaceruatis cadaueribus, qui ſupereſſent, vt ex tumulo tela in noſtros conijcerent, pilaq́ intercepta remitterent: vt non nequidquam tantæ virtutis homines iudicari deberent: auſos eſſe tranſire latiſſimum flumen, aſcendere altiſſimas ripas, ſubire iniquiſſimum locum: quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat*. Intueamur propiùs, ac quaſi collato pede rem exploremus. *De ſuorum cadaueribus* tamquam de vallo ac æquiore loco pugnare, hoſtium telis hoſtem ferire, *latiſſimum flumen tranſgredi*, paratum ex aduerſo hoſtem adoriri; *aſcēdere altiſſimas ripas*, ac ex ijs veteranum militem, recētem, benè

habitum, acie inſtructum deturbare; *ſubire iniquiſſimum locum*, & è tantâ loci antè inſeſſi, occupati, muniti, opportunitate hoſtem pellere; validúmque equitatum pedeſtribus copijs in effuſam fugam vertere, ánnon ingentium animorum eſt? Victi tamen Neruij, fateor: ſed à ſolo Cæſare victi. Nam ex hac victoriâ nihil ſibi miles, nihil eques, nihil centurio, nihil decerpere legatus poteſt; ceſſerant Neruiorum robori, ceſſerant animis; vnus Cæſar vicit. veriùs: fortuna in Cæſare vicit. Hæc de *Neruijs*. De *Battauis* quid dicam? qui Taciti *Agricolam* legit, quid ambigit vltrà? in illuſtri illâ exhortatione, quâ ſuos prouocat ad imponendum quinquaginta annis magnum diem in poſtremâ ſubactæ Britanniæ pugnâ, dubio eò
Tacit. in Agricolâ. vſque Marte pugnatum ait, *donec Agricola tres Battauorum cohortes & Tungrorum duas cohortatus eſt, vt rem ad mucrones & manus adducerent.* qui vt *miſcere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cœpere; cetera cohortes æmulatione ac impetu commiſta, proximos quoſque cædere* cœperunt: inde ingens victoria, in quâ *finis ſequendi nox & ſatietas fuit*. Iam cui ignota *Ciuili Duce expugnata caſtra, deleta cohortes, pulſum Battauorum inſulâ Romanorum nomen?* cui *Aquilius* terrâ maríque ſuperatus? cui *Lupercus*? cui exercitus apud *Vetera* cæſus, & in conſpectu *Noueſij* equeſtri prœlio victus?

ctus?cui *Labeo* terga vertens?cui deditæ *legiones*?& ni vincentes ſpolia tardaſſent, vinci *Cerialis* poterat. Neque hoc mirum videri cuiquam debet, qui Battauos cogitauerit *diu Germanicis bellis exercitos; mox auctâ per Britanniam gloriâ, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas veteri inſtituto nobiliſſimi popularium regebant*.cùm & *eſſet domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio, arma equoſq́; retinens, integriſq́; turmis Rhenum perrumpere ſolitus*. Quis alius eques ſequatur præeuntes? rapidiſſimum flumen, latiſſimum, altiſſimum, integris equitum armatis turmis tranſnatare, an non miraculo proximum? *Tacit. hiſt. lib. IV*

Hæc veteres *Battaui Belgæq́;* veteres. Nam de recentioribus, quamquam anguſtis iam limitibus arctatis, quid dicam? Quattuor & quadraginta annorum ciuilia bella nimis, ah nimiùm docent. ô quando finis? Non tandem aliquando poſito mari ſecutura malacia decumanos ſerenabit fluctus?

Non ira quæ procudit enſeis,
Et miſeras inimicat urbes

deſæuiet mitiore vultu, blandiore ferro & fronte? ô tandem! Iam tot exercitus terrâ maríque deleti, tot acies fuſæ, tot oppida vi capta, tot Regum ac propè Europæ totius opes exhauſtæ, quid loquuntur? quid miles è validiſſimis populis in hanc prouinciam immiſſus, inſtructæque fremente ge-

menteque Oceano claſſes, vt integi integra potuerint maria, Belgicumque quà equite quà pedite ſolum tegi, quid teſtantur? Nolo veterem hanc ſcabiem nouo vngue, nolo has cicatrices duriore pertentare pollice. nouacula hîc omnis manus eſt. Cum Regum quos vlla retrò tulit ætas maximo, cuiuſque iam olim fortunatiſſimis maiorum ſucceſſibus

Creuere vires, famáque & imperI
Porrecta maieſtas, ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili,

tot iam annis de imperio, ingentibus datis acceptiſque cladibus, certaſſe, quis non miretur? Felicia bella, ſi verſa à conſanguineo in Turcico ferociſſent iugulo. nunc quæ gloria, cùm omne propè hoc robur à Belgicâ manu in Belgico natauit ſanguine, vt non ſemel vetus illud ingeminare licuerit, Ha tempora!

Stat conſanguineum campo ſcelus; vnius ingens
Bellum vteri:

prouinciæ vnius, tamquam fecundæ (non & miſeræ?) matris, fecundæ (non & infelicis?) ſobolis, acies hoſtilis, inimica agmina. Audi Deus, & incude diffinge nouâ in

Maſſagetas Arabaſq́ ferrum,

tot iam annis in Belgico retuſum ſanguine.

Eheu! cicatricum, & ſceleris pudet
Fratrumq́.

ergo

ergo diſſociatas ſociemus dexteras. Tu poſt illum hoc potes,

O Diua gratum quæ regis Belgium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

auerte hanc peſtem à plebe populoque tuo; & in Parthum aut Scythas conuerte has ſicas, nullo ſatiandas, nullo pacandas ſanguine.

CAPVT SECVNDVM.

BRABANTIA.

Fortia prouincialium facta, victoria parta, acti triumphi.

BRABANTIA aliquando è variis populis, in hûc, quem videmus, coaluit. & patuit aliquanto latiùs. nam à S. Bauone in Brachbantenſi agro ædificatum ſunt qui prodiderunt ſacellum, quod in ipsâ Gandenſi vrbe cis Scaldam conditum. & *Diuum Lauinum ad Eſcam, in pago Brachbantenſi, martyrio coronatum accepimus*. Annales ſanè noſtri habent, *Teneramundam cum agris, in pretium fidæ operæ atque opis contra Grimbergios, Theodorico tunc Comiti Flandriæ acceſſiſſe, atque abiunctam deinceps à nobis eſſe*. Ottonis verò Secundi diploma commemorat, *confirmaſſe cum poſſeſ-*

poſſeſsiones Gandenſis cœnobij, in pago Brachbanteſi, villam Veruiniam & Fleterſele, & Papingham, Bauingham, Giſenſele & Holtzem. quæ pleraque in hodiernæ Flandriæ finibus reperias, vt bonam huius partem Brabantia occupauerit: nec Hannoniæ minorem, ſi non omnem. nam in veteri diuiſione Caroli & Ludouici Regũ anno DCCC. LXX. hæc habes: *In Brachbanto Comitatus* III. *Cameraceſium, Hannoum, Louienſem*. Sanè Sigibertus illam ad Tornacenſium mœnia extendit: *In pago Brachbantenſi iuxta Tornacum*. Nunc minoribus arctatam terminis è vicinorum veterum populorum coaceruatione prouinciam vnam videas. è *Neruijs* enim, *Aduaticis, Ambiuaritis, Pamannis, Tungris, Eburonibus, Taxandris, Menapiis, Morinis*, non poſtremis partibus defruſtatis, vnum agrum, tamquam vnum corpus ſtatuit. Ambitur nunc ab Oriente *Leodienſibus, Namurcenſibus* à Meridie, Occidentem *Flandri* claudunt, Septemtrionem *Battaui ac Zelandi* Scaldæ æſtuariis diſcreti. Circumſcribitur Moſâ, Scaldâ, Sabi, Tenerâ, fluminibus, quæ nuſquam tranſilit. ciuitates numerat, magnitudine, variiſque ab ingenio & arte propugnaculis validas ſex & viginti: ac ſuper has ſeptemdecim ſolo robore ſuo, nullâ ductili foſſâ aut muro cinctas, vrbicis prærogatiuis dotatas. ſortiunturque iura ſua ſub *Brabantia* Ducatu, tamquam ſpecioſi corporis non vltima membra,

Anno 1059.

bra, *Limburgicus* Ducatus, *Dalemij* Comitatus, *Valkenburgicus* ager. Ingens populus, valida vbiq. & lecta iuuentus, ad libertatem aut mortem animus promptus, clarumque bello nomen. Iacuit tamen aliquot ſæculis multis modis fracta veritas, inſcitiâ prouinciæ noſtræ, mox aſſentandi licentiâ, inde inuidentiâ aduerſus proſpera. Inſcitiæ ſi audaciam iungas, ingens malum. Aſſentationem quis non pronis auribus hauriat, imperiorum virus? quod enim non latet venenum ſub hoc fauo? quod quò quis haurit auidiùs, eo infeſtiorem hoſtem accipit, ruinâ beneuolentiam remuneraturum. vt meritò beatam hanc dixero prouinciam; in quâ plurimi quod debent, quod Deus, quod ſuadet ratio, quod publicè bonum, ſentiunt: beatiorem, in quâ dicere liceat quod benè ſenſeris. hanc videor mihi nactus, nec fœdo in adulatione ſeruitutis crimine maculatam, vt quæ illi obduxerit peſſulum; nec inuidentiæ fuligine dedecoratam, vt à quâ liuor exulet. Dicam ergo quod de Brabantis meis ſentio, ſemotis prioribus rerum publicarum peſtibus: dicam quod in tantâ hiſtoriarum tenuitate, ac quaſi macie, reperio. Quod dum facio, non diffitebor aggredi me plenum variis opus caſibus, atrox prœliis, diſcors ſeditionibus; ipſaque adeò cum externis pace, in ſe ſæuum. Magna enim paſſim nobilitas ferro extincta: domeſtica an externa bella plura, du-

bium;& permiſta hęc non ſemel felici infeliciq́ue euentu. Proſperæ res in Galliâ, Germaniâ, Angliâ, Italiâ, Aſiâ, aduerſæ non ſemel. Ieroſolyma capta, Syria domita, Prouinciæ huic triumphos debet. Mutuis deinde cladibus, Geldricis, Eburonicis, Battauicis, Flandricis, Limburgicis, Luxemburgicis, nobilitata. Mota reperio in Biitannos arma, perdomitos Stadienſes hæreticos, patriæ & diademati reſtitutos Reges: neque annum propè vacuum à prœliis, liberum à ferro. Ceterùm antequam propiùs hæc attingam, fateor, multa (vt antè dixi) iacêre ac quaſi dormire apud nos ſæcula, ſcriptorum incuriâ, gloriæ neglectu, veri metu, obſequendi aliis ſtudio; dum noſtra negligimus, aliena admiramur: illa deprimimus, aut intacta tamquam ingloria tranſimus, hæc extollimus. Quare profiteor non habere me multis ætatibus quod pro comperto dicam. Fabulas aut his propinqua, quis niſi plebeiâ linguâ narrauerit? non merentur hæc nomen calami; ſed neque inſtituti eſt mei hiſtoriam texere. ſeponam hanc materiam alteri ætati. Capita nunc deligam ex plurimis pauca, & ea ferè quæ militiæ robur decuſq́ue tangunt.

Brabanti, Gallicum ac Germanicum genus; olim in maioribus, mox propriorum factorum memoriâ clari. & meminit, vt vetera taceam, in Saxoniâ ſuâ *Crantzius*, æquatq́ue per ea tempora *Hel-*

Heluetijs: ante diſcrimina cunctabundos, in ipſis feroces, in periculis impauidos, turbidis rebus intrepidos, in audaciâ fortunatos, pro libertate próque gloriâ pleraque auſos, conſiliis dandis promptos; nec tam linguâ, quàm factis feliciores; manu promptos; & ad quaſcumque ſcientias ac artes natos: ſuper hæc tamen omnia bellicâ laude magnos. Feliciter horum operâ, Anglorum *Henricus*, ciuitates recepit, nutantes firmauit, proceres obedientiam edocuit. Nec in longum quies data. traductos enim lego in Aquitaniam ſucceſſu pari. Inde etiam ſub *Iacobo Auinienſi* equitum magiſtro lectiſſima iuuentus in *Saladinum* ducta. ſtetit hîc anceps prœlium, donec *Auinienſis* inuectus in confertos hoſtes, & quâ parte acrior vis fiebat, dubitantibus ſubuenit; confirmat clamore, telis, manu; ſuo denique ſuorúmque ſanguine hoſtem loco pellit: cædes deinde, non prœlium. Læta ea victoria Chriſtianis: cunctiſque ſuper vota fluentibus mœrorem attulit, ſanguine tantorum emptam: ita nulla felicitas in purum perpetuat. Quies deinde ab externo hoſte, turbata domi; ſignaque in *Theodorum* Hollandiæ Comitem illata *Henrico* Duce: & Comes caſtris exutus, amiſſis ſignis, viuus in poteſtatem venit. nec multò pòſt *Henrici* ductu *Philippus* Imperator *Ottonem* ſuperat; creuit tamen mortuo *Philippo*, *Henrico* pro *Ottone* fides integra & fecunda, quâ Leo-

Anno 1175. *Anno* 1176. *Paullus Æmilius* *Anno* 1192. *Anno* 1202. *Anno* 1206.

dienſes in *Ottonis* verba cogit. Multa hìc prœlia,
ſed *Henrico* proſpera, pro quo fortuna & parta
toties victoria: hinc ſæua ac deformis vrbe totâ
facies ſecuta; nec tam prœlia quàm vulnera,
Anno cruor, & corporum ſtrages. Succeſſit *Stadingo-*
1212. *rum* veſania, Brabantico compreſſa & extincta
ferro. Profecta ad hoc bellum è *Brabantiâ*, *Ge-*
rardi à Lippâ Bremenſis Archiepiſcopi rogatu,
ingens nobilitas: & vt quiſque corpore, viribus,
opibus, ingenio maximè valebat, ita maiore ani-
mo, pro maiorum intemeratâ fide, contra hære-
ticos ſtetit. Hoc magnum, paucis noſtrorum de-
ſideratis, *Stadinganos* ad internecionem deletos
Anno ferro ac flumine. Grauis exinde pugna in *Siphri-*
1234. *dum* Colonienſem, *Reginaldum* Geldrum, *Adol-*
phum Naſſouium, *Henricum* Luxemburgenſem,
Valeranum Falcoburgenſem, & duos huius fra-
tres, directa acies: diemque ſolidum ambigua vi-
ctoria ſtetit. Vicit tandem *Joannes* Brabãtiæ Dux,
cùm mutuò ſe hortati *Brabanti* acri impreſſione
hoſtem auertiſſent. capti Colonienſis, Geldrus,
Naſſouius, & Falcoburgius, partium duces, de-
ſideratique prẹter promiſcuam plebem, equeſtris
ordinis quadringenti, vt facilè videas quantum
Anno ſanguinis fuſum. Nec fuit incruenta *Brabantis* vi-
1288. ctoria, cùm non tantùm imbellior quiſque, ſed
è primis ductoribus non pauci ceciderint: è Co-
lonienſibus & Geldris, omnia robora vtriuſque
gentis,

Digitized by Google

gentis, cum Luxemburgenſi & Falcobu:gij fratribus. Reſtitutus poſt hæc regno & ſuis, *Eduardus* tertius Angliæ Rex Brabantinâ manu; quam & in Aquitanos, Britannos, Normannos, Iberos duxit, fortunatiſſimo vbique euentu. Pari eam aliquando ſucceſſu *Richardus* Anglus in Aquitaniam, *Philippus* Gallus in Aragoniam & Flandriam, *Ioannes* in ſuam Angliam, *Eduardus* in Scotos duxerat. Iam *Conrado* Imperatore *Vliſſibona* Saracenis erepta, ducentis hoſtium millibus cæſis aut in fugam verſis. neque alia clarior eo ſæculo victoria, Belgarum ac Brabantorum cumprimis virtute parta. *Anno* 1327.

Vacui exinde externo metu, domeſticis afſere malis. veterem enim inter *Brabantos* & *Grimbergenſes* diſcordiam, priuatorum æmulationes accenderant. multæ ante hos annos inuicem clades; crebriuſq. infeſtiuſque, quàm in cognato fas populo, decurrerant. hinc æmulationes & inuidia, & vix agro diſcretis connexum odium: ergo arma in ſe vertunt, diriguntque acies pari vtrimque ſpe libertatis ac dominationis. Nec aliàs concurſum mole maiore, neque ambiguo magis euentu: Brabantica vtrimque robora: & omiſſo pilorum iactu, gladiis haſtiſque res agebatur; collatoque gradu, corporibus & vmbonibus nixi. noſcentes inter ſe, in euentu totius belli certabāt pro gloriâ, pro principatu. Inchoata pugna ante ſolis exor-

tum: neç deſtitum ante noctem; quin & in ipſis tenebris pugnatum: incerti hîc ictus, vulnera improuiſa, ſuorum atque hoſtium ignoratio. deleto tandem promptiſſimo quoque aut ſaucio, vtraque acies ad ſua ſe recepit. exigua quies; adpetente luce rurſum pugna, & abſumptus alter dies vulneribus, cædibus: neque nox finem fecit. tum verò ſtrepitus diſſoni, caſus incerti; cùm neque feriendi neque declinandi prouidentia, non virtus: adeoque ignauiſſimi cuiuſque telis fortiſſimus cadit. varium prœlium, his, rurſus illis exitiabile; cùm nihil animus aut manus, ac ne oculi quidem prouiſu iuuarent, donec ſatietas, & laſſæ tandem manus & ferrum, acies dirimerent. paucę horæ ſine ſanguine, ac ne curandis aut obligandis vulneribus tempus datum: vix namque exhauſtâ nocte, paratos exercitus dies aperuit, & pugnatum in meridiem. ceſſit demum *Grimbergenſis*: victor *Brabantus*. E quâ aliâ gente triduana
Anno 1144. pugna? aut niſi *Brabantus Brabanto* contrà ſtaret, eademque vtrâque acie arma & artes, triduum pugnari potuit? Illuſtrem hanc pugnam reddidit *Brabantiæ Dux* infans, & inter cunas vagiens, ex editiore arbore media inter agmina depenſus, vt vagitu & tenellæ commiſeratione ætatis, animos ſuis adderet, terrorem hoſtibus immitteret, cùm perfacilè viderent deſtinatũ *Brabantis* cum Duce ſuo vincere aut mori. Fuit & illud militare,

quot-

quotquot ceciderunt, contrariis cecidiſſe vulneribus, verſoſque in hoſtem: ea cura morientibus, vt decori etiam exitus foret.

Hactenus *Europaa*. *Aſiatica* à cælo prodigia ſunt: & *Gedeonis Machabæiſq*; non inferiora, cùm *Godefridus Bullonius*, alterum naturæ miraculum, *Brabantiæ Dux*; *Græciæ, Aegypto*, *Palæſtina* victricia infert ſacrata Deo ſigna. Nullum hîc mendacio pretium eſt. rem narro: nec tam humanę dexteræ, quàm præpotentis Dei. quæ vt aliàs ſæpè, adfuit Duci noſtro. *Nicæa* expugnata, primum laboris & tanti itineris prœmium. fuſi hîc ſubſidiarij *Turcæ*. pauciores tamen cecidere ob propinqua ſuffugia. Rurſus prœlium. ingens numerus; ducenta millia numerat *Tyrius*, trecenta ſupra ſexaginta millia *VVilhelmus Malmesburienſis*. æquata pugna, dum miſſilia mittuntur; vt ventum ad ferrum, deturbati hoſtes, ruinæ modo præcipitati. Quæſitum deinde quam vrbem aggrederentur. *Antiochia* potior viſa. hanc auferre *Turcæ*, in rem famamque videbatur. ardua res, imminentia in orbem turrium iuga, ferrati portarum obices, ac tantumnon iuſtus in vrbe exercitus. Aduerſus quæ omnia fortior animus: tantúſque ad *Bullonij* verba, crucem nec aliud oſtentantis, certantis exercitus ardor, vt leui momento nudata propugnatoribus mœnia, portarum obices ſubuerſi, capta aſcenſu munimenta fuerint. ceſſit dehinc

Anno 1096.

lib. 3. c. 12.

Anno 1098. dehinc ciuitas victori. At in illâ victrice ſede ſuâ à trecentis Turcarum millibus obſeſſum victorem reperio. ingens planè multitudo. *Bullonius* quamquam confideret virtuti, ac ſuper omnia Deo, tamen exhortationes precibus miſcet; *ſpernerent numerum, & inanes barbarorum minas: ceſſuros vbi crucem ferrúmque toties fuſi agnouiſſent; ac in multis paucos eſſe qui prœlia profligarent, ipſámque adeò multitudinem non ſemel exitio ſibi fuiſſe: gloriaq́ ipſorum ac in primis cruci acceſſurum, quod modicâ manu omnem hanc turbam deieciſſent.* Dixerat, cùm excepit miles gladio & haſtà; fuſuſque hoſtis, tamquam à vento palea. Signa deinde *Ieroſolyma* illata, copiâ defenſorum, propugnaculis ac magnitudine validæ. ineratque miles, & prouiſi antè commeatus. Omnia ceſſerunt virtuti; capta *Ieroſolyma*, tantorum merces bellorum. ſequitur pugna. erant equitum in exercitu noſtro millia quinque, peditum quindecim: hoſtium equitum millia centum, peditum quadringenta. ferox hoſtilis acies, & noui decoris auida, poſt tot ſuorum cædes, tot ſecunda noſtrorum prœlia, inſultare, prouocare, iactare minas. & trepidabant noſtri, nec ſatis conſilia expediebant, obſidionem tolerarent an in hoſtem irent. placuit tandem ire. inſtructa acies educta mœnibus, neque deerat hoſtis toties impatiens vinci. & *Bullonius* fortiſſimi nuſquam militis, nuſquam conſtantiſſimi ducis offi-

Malmeſb. lib. 6. c. 22.

Tyr. lib. 9. c. 9.

Anno 1099.

Tyr. lib. 9. c. 12.

officium omiſerat: occurſabat pauentibus, retinebat cedentes: & vbi plurimus labor, ſpesque aliqua, conſilio, manu, voce, cruciſque memoriâ ſuos animabat, terrebat hoſtes. Atrox hinc cædes, donec Turcarum cohortium præfecti, ſuſtentatâ nonnihil acie, telis obruuntur, inde effuſa fuga. Supra centum millia cæſa tradidit *Vrſpergenſis*. Maior ſecuta clades, cùm mare fugam inhiberet; integri hîc cum ſauciis, ſemineces cum valentibus voluuntur fluctibus, variâ pereuntium formâ, & omni imagine mortuorum; ac plures longè mare quàm ferrum hauſit. clara, & antiquis quorumcumque Imperatorum victoriis par eâ die laus parta: Deo in primis, pòſt Duci. quippe ſunt qui paullo minùs quàm quadringenta Turcarum millia cecidiſſe narrent; vt non immeritò *Malmesburienſis* inclamet: *Cedant poëtarum præconia, nec priſcos Heroas vetus attollat fabula; nihil vmquam horum laudi comparabile vlla genuere ſæcula*. Moritur poſt hæc *Godefridus*, nulli veterum pietate, animis, victoriis inferior: ſuccedit *Balduinus*, alter Ieroſolymorum Rex. & ſecuta bella. ita nulla ab hoſte quies. Quadraginta fuiſſe millia refert *Vrſpergenſis*, cùm apud noſtros non niſi millia octo. At *Balduinus* crebris proſperiſque ſucceſſibus exercitatum eduxerat militem: hoſtis per cateruas & turbas ſuos diſpertiens, agmina noſtrorum circumfuderat, non ignaro Duce no-

Ff ſtro,

ſtro, qui huic pugnæ compoſuerat aciem. vt ventum ad manum, hortatur *Balduinus* ſuos, *ferro rem agerent, præda immemores, partâ victoriâ cuncta ipſis ceſſura*. Inde crucem vertit in hoſtem; quâ ductrice latè barbaris terror immiſſus, noſtris additus animus;ac primò equitatus perfundit quod obuium & validum in hoſte erat,ceteri terga prębuere.vertit poſt hęc ſuos ad hoſtilia paſſim propugnacula, exſcindit pleraque, plana ac edita; validos inualidosq́ue, pari omnes metu complet; cetera terrore incolarum in deditionem veniunt:paruaq́ue manu,& vix fidem reperturâ, quadraginta equitibus, peditibus ducentis, viginti *Saracenorũ* millia fundit.Steterant attoniti noſtri:ſenſerat *Balduinus*; ergo hæc ad ſuos, vt exaudiri ab omnibus poſſet: *Ne dubitarent, ſtare eos ſuper veſtigia gloriæ, cineres oſſáque Saracena calcantes. quocumque hoſtes intenderent, clades priores & dira omnia obuerſari. ne terrerentur nudo apparatu; veteranis caſis, facilem tironi fugam fore. Quod roboris fuerat, tot antè proſperis ſuorum prælijs periiſſe; ſupereſſe qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant: ſed & Deum ipſum in aſpectu eſſe, cuius nutu capeſſerent pugnam Belgicæ virtutis memores. illum diem glorioſiſſimum fore, quo paruâ manu, & qualis lecticam oblectantium ſe Principum, non armatos circumſtare ſoleat, magnam hoſtium manum fudiſſent.* Valuit oratio. & deleri omnes poterant, niſi victorem

ctorem militem ſanguis laſſaſſet, & hebetatum vulneribus mortibuſque ferrum. Equitibus dein quingentis, ac duobus peditum millibus, cum Saracenorum quindecim millibus certatum. proſperum id *Balduino*, *Saracenis* exitio fuit. Magna hæc. & potuiſſet *Saracenorum* nomen occidione occumbere, ſi *Godefrido* & *Balduino* fratribus reliqui Chriſtiani Principes acceſſiſſent, pareſque *Belgis* animos attuliſſent: qui ferè è primâ nobilitate & lectiſſimâ iuuentute primi ad pugnam, poſtremi in receptu. Nec vltima hîc laus *Antuerpienſium*; rara ſuper alia prærogatiua, vt primi in *Bullonij* ſacræque expeditionis verba iurarent, nouo inter ſe fœdere obſtricti, non redituros niſi victores. Grande exemplum reliquæ nobilitati *Belgicæ*: quæ ſolemni ſacramento, Ordinum plauſu, ſimili ſe obſtrictione deuouit. Omnium hîc laus, ſed ferè primorum maxima: inſita namque hæc mortalibus natura, circumſpectare initium, ſequi audentes.

Delectum militum Antuerpiæ habet Bullonius.

Poſſem hîc fortia *Brabantorum* facta numero & robore plurima, poſſem Duces enumerare, belli paciſque gloriâ magnos, *Pipinos*, *Martellos*, *Godefridos*, *Henricos*, *Ioannes*, *Philippos*, *Maximilianos*, *Carolos*: quorum vario ductu ingentia pugnata bella, clariſſimis relatis triumphis, *Sueui*, *Saxones*, *Bauari*, *Dalmatæ*, *Longobardi*, *Sclaui*, *Hunni*, *Angli*, *Luſitani* loquuntur; & in ipsâ *Galliâ* *Martelli*

Ff 2. manu,

manu, *Saracenorum* ſeptuaginta millia cæſa.cúmque reparato poſteà exercitu alteram formidinem intuliſſent *Galliæ*, cunctaque pauore compleuiſſent, dum quæ metuunt ſinguli extollunt, facili credulitate eorum qui eadem pauent, tantumque non ſubacta *Gallia* mœſta iaceret; *Martelli* dexterâ reddita ſalus eſt, & *Saraceni* graui prœlio attriti, omni in poſterum redeundi ſpe recisâ.

Quantos hac ætate *Martellos* daret,non *Brabantia*, aut *Belgium* tantùm, ſed *Europa* tota, qui non *Galliam*, ſed *Aſiam*, *Africámque* & Europæ reliquum, barbaro depulſo iugo, vendicarent, ſi tam concordibus armis animiſque hoſtem impeterent,quàm æmula circumſpectant regna? Ceterùm vicinus metus, & maior à propinquo terror, prætexuntur: ſpecioſa nomina. *Ottomannicus* pauor obſedit animum, & metum è vicino obiicimus: quemcumque timor occupauit, vſurpauit eadem. Quid ergo exſpectamus, vt mutuo laſſati ferro, in ius ditionemque barbari concedamus? Toties laceſſiti, Prouinciis regniſque exuti,torpemus otio; nec quiſquam præter frigidam bello dexteram oſtentat: quid niſi paullò pòſt ſupplices protenſuri? Sed æmulatio quouſque hæc? *& dominandi ſpes, ac in agro connexo vberior ſeges?* ô voces! Hæc talia erunt, donec homines, & regna: & fuerunt *Godefrido* & *Balduino* pugnantibus.

Publica

Publica moueant, quorũ interuentu priuata penſentur. Periit *Aſia* & *Africa*, & *Europa* pars maior erepta Fidei eſt & nos de ęmulâ vicinitate gladiamur. Formidamus connexa imperia: moderatius ab *Ottomanno* ſperamus? aut mitioribus in illo malis prememur? quoties edocti poſt datas dexteras, poſt iuſiurandum interpoſitum, & ſtamus in noxiâ fiduciâ, ac inter barbaras manus toties perjurio lotas mitiora cogitamus? Exſurgite. *Godefridum* & *Balduinum* duces habemus: nihil hîc nouum, aut ignoratione ſui formidandum; calcata via eſt. Potuit hanc primus Prouinciæ dux vnius, tot ſucceſſibus lætus, tot cælo ituris triumphis fatigatus; tot regna, & ſociata imperia pudebit ſequi? ô ſemper inimica magnis trepidatio euentibus! ô quos triumphos vertis in iugum improba æmulatio! Exſurgite: par cauſſa eſt, idem *Deus*, *Crux* eadem, eademque maiorum *Fides*: tantùm animis opus, ſequentur reliqua. Nam ſi regnorum tanta de vicino libido trahit, ſatis ſub *Ottomannis* imperiorum eſt, quod omnium reſtinguat ſitim, expleat famem. veſtra tantùm *Reges Principeſque* virtus exſpectatur, conſenſus animorum veſter, in quo omne robur; & ſine quo, quamuis fortia, inualida ſunt. Neque ego nunc vos ad bella aut pericula voco. omne robur vobiſcum eſt; omnis victoria in manu eſt. Nam qui *Ottomannum* tutatur miles, veſtrâ diſſenſione

tutatur: iungite hæc diuiſa, nuſquam vos aſpicient, quin eodem momento effugia circumſpectent. Quid ſtatis dubij? aut quouſque diſſociant diffidentia & æmulatio, imperiorum peſtes; adulatio & detractio, regnorum toxica? Exſurgite Principes. mille & quadringentis ampliùs annis *Aſiaticas* & *Africanas* tutabatur aquilas *Romana Fides*, paribus coaluerat *Græcia* tota. quis ſecuit? inimica Regnis æmulatio. *Alexius* mihi vobiſque teſtis, faſtus, libido, diuinorum contemptus, numquam ſaturandæ æmulationis ſocij. Videte ne apud vos eadem. Necdum ſat illinc magna mutuæ diffidentiæ ſpretique documenta numinis? Vbi eadem cauſſa, metus idem. Quid ſi ab eodem hoſte? an expectandum, donec Hungarico ſubmittamur iugo? Nihil facilius quàm diſperſos vinci; nihil facilius quàm coniunctos vincere, & frangere barbaras illius minas, ac ad Mahumetanum veterem puluerem deducere hos montes. Quid exempla poſcimus, domeſticis diuites? Sentiant vos *Godefridos*, *Balduinos*. putatis auſuros bella? veterem formidinem, fugam, cædes ſperate. Toties paruâ manu ſuperati, quid niſi precariam vitam Regnumque tenuerunt? exinde priuatis noſtrorum diſſenſionibus creuêre, ſubactæ Prouinciæ, Regnaque, & Orientis imperium impuro calcatum pede, inſeſſum *Mahumetanâ* rabie. Quouſque ſtamus, & in Chriſtiana pectora

ctora ferrum vertimus? Hic illud tempus oblitterandæ culpæ; properate crimen in decus vertere. aderit qui *Godefrido Deus.* Audete, quicumque in vetere maiorum *Romanâque Fide* ſtatis. veſtrâ enim dexterâ cadet hic *Nicanor*. Non euoco degeneres veritatis grano; non nouitiis ſaturos commentis, qui à *Lutheri*, *Caluini* aut *Mennonis* torculari madidi, eructant non vuas ſed labruſcas. Vos volo intemeratæ maiorum *Fidei* propugnatores: vos mihi reduces *Machabæi*, vos *Godefridi, Balduini*. vos enim eſtis *de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt*. Nam iſtos *Ioſephos* & *Azarias* non moror, cadent *Gorgiæ* manu. vos volo *Godefridi* & *Balduini* germen: vos mihi non *Machabæi* tantùm, ſed *Iſai Bethlemici* decus. quorum fundâ, & limpidiſſimis de torrente lapidibus, è paſtorali perâ eductis, cadat ſpurius *Philiſthæus*. Nam quid aliud limpidiſſimi lapides, quàm vera limpidaque *Fides*, nullis dedecorata maculis? quid torrens, quàm *Scriptura ſacra*, vnanimi *Patrum* maiorumque ſenſu tradita? quid paſtoralis pera, ſi non *ſupremi paſtoris vicarij Chriſti, ſucceſſoris Petri*, cui commiſſæ oues, ſpiritale armamentarium? ex hac perâ, ex illo torrente, *Scripturæ ſacræ* ſenſus purus, mens vera. Vos ergo dilecta Deo germina, *Samuelis* cornu inuncta, erigite mentes, ſacrata ſancite fœdera. nihil incertius morâ. inualeſcit malum. feſtinatione opus;

1. *Mach.* 5.

Digitized by Google

opus;nec conſiliis nunc,tot ſęcula retrò abierunt, ſed facto opus. abolete tot ætatum ignominiam. Quid expectatis reliquos Principes,ſegreges iam, & ab illâ paſtorali perâ, voluntario exilio damnatos? odi moras. ſat virium in vobis,ſi animorum, ſi coniunctionum ſatis eſt. Quid numerum circumſpicitis?audite Sapientem: *Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti: ex iniquis enim ſomniis filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſuâ.* Quam vitam promittant rami arido inſerti trunco? quas radices agent ſpuria & à maioribus degeneràtia vitulamina?quod firmamentum collocabunt, inconcuſſâ maiorum areâ deſtituti? quæ germina ſperes ab emortuis ramis, omniq́ue vitali ſucco ſpoliatis? inconſummati frutices quos fructus dabunt? ſomniorum filij, è Lutheri, Caluini, Mennonis puluinari, à parentum thoro profugi, ab vberibus matris aberrantes, quid niſi nouitiis interrogationibus aduerſus parentes,longamq́ue retrò maiorum ſeriem,ſibi variiſq́ue perniciem creant? Quare de his nulla mihi verba.

Sapientiæ 4.

nec

nec ſi arma,ſi ſigna poſcant, velim ſocios. certiùs ſine his vincetis. nam quæ pars inimicis *Crucis* cum *Cruce*? & *Cruce* tamen vnâ *Palæſtina* domita,quam qui tollit, quidquid validum ſuſtulit.

CAPVT TERTIVM.

Aduatici, Ambiuariti: & cuius Prouinciæ pars aliquando Antuerpia.

BRABANTIAM dedi, cuius nobiliſſima pars *Antuerpienſis* ager. Tranſeo nûc ad *Aduaticos*, & *Ambiuaritos*,qui in *Brabantiæ* ius ditionemque conceſſere. Pars ergo nunc ſunt *Brabantiæ*, & *Aduaticos* quidem ex *Cimbris* & *Teutonis Cæſar* duxit. *Ipſi erant ex Cimbris Teutoniſque prognati*; *qui cùm iter in Prouinciam noſtram, atque Italiam facerent,his impedimentis,quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum diſpoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex millia hominum vnà reliquerant. Hi poſt eorum obitum multos annos à finitimis exagitati, cùm aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent;conſenſu eorum omnium pace factâ, hunc ſibi domicilio locum delegerunt.* E *Cimbrorum* ergo & *Teutonum* reliquiis *Aduatici*; quos,inter *Ambiuaritos*, *Neruios* & *Eburones*, ad Scaldam vbi nunc *Antuerpia* eſt,ſunt qui conſediſſe velint. At mihi veriſimilius eſt *Aduaticos* iam olim agrum occupaſſe,vbi nunc *Gallo-brabantia* eſt,inter *Neruios*,

De bello Gall. lib. II.

uios, *Eburones*, ac *Menapios*, tenuiſſeque *Hannoniæ*, *Hasbaniæ*, *Namurcẽſis* Comitatus, ac *Leodienſis* ſoli non minimam partem, *Condruſijs* conterminos. Minùs etiam adducor vt credam fuiſſe *Antuerpiam* eam vrbem in quam *Aduatici* ſuperatis à *Cæſare Neruijs* exercitus ſui robur contulerint, apertè enim refragatur *Cæſaris* locus. apud quẽ *Aduatici: ſua omnia in vnum oppidum egregiè naturâ munitũ contulerunt, quod cùm ex omnibus in circuitu partibus altiſsimas rupes deſpectuſq; haberet, vnâ ex parte leuiter accliuis aditus, in latitudinem non ampliùs* CC. *pedum relinquebatur. quem locum duplici altiſsimo muro munierant*. *Antuerpiæ* verò quæ rupes, qui deſpectus ex alto? ingens planities eſt: niſi quis dicat ingentes rupes, in humillimas deſcediſſe arenas; aut Oceano abſterſas, tamquam leues humani corporis verrucas. Minùs fors aberrauerit, qui *Aduaticum* ſtatuat in montibus, qui *Namurcenſibus* aut *Huenſibus* imminent; aut in quocumque potiùs quàm in *Antuerpienſi* agro; in quo perpetua planities, & tamquam continuum placidumque æquor, omnem *Aduatici* coniecturam excludit. Sed neque, vt quidam arbitrati, ſuprema in eo oppido fuit cum *Cæſare Aduaticorum* pugna: cùm non multò pòſt *Cottâ* & *Sabino* Cæſarianis legatis deletis, *Ciceronis* caſtra, *magnâ manu Aduatici, Eburones, Neruij, atque horum omnium ſocij ac clientes oppugnarint*. Sed & iuſtis exinde

De bello Gall. 2.

De bello Gall. li. 5.

de exercitibus *Neruij* & *Aduatici bellum Romanis pararunt:* adeoque vt *Induciomaro* à *Labieno* occiſo, perſtiterint tamen in armis cum *Neruijs* & *Menapijs* & *Ciſrhenanis* Germanis; vt facilè videas *Aduaticos* etiam tum gentem fuiſſe non contemnendam, ad arma promptã; & aduersâ vnius oppidi clade, non tam fractos, quàm ad audenda maiora prouocatos. Sed neque in vno oppido vniuerſa deleri gens potuit, quæ longè lateque dominaretur, ipſiſque illâ ætate *Eburonibus* imperaret. *Ambiorigis* Eburonum reguli verba ſunt; *Se pro Cæſaris in ſe beneficijs plurimũ ei confiteri debere, quòd eius operâ ſtipendio liberatus eſſet, quod Aduaticis finitimis ſuis pendere conſueſſet: quódque ei & filius & fratris filius ab Cæſare remiſſi eſſent, quos Aduatici obſidum numero miſſos apud ſe in ſeruitute ac catenis tenuiſſent.* Nam quod *Cæſar* ſcribit, *ſua omnia Aduaticos in oppidum egregiè naturâ munitum contuliſſe*; quis non videat inter altiſſimas rupes, aditu propè inuio, non niſi anguſtam vrbem adeoque arcem veriùs quàm vrbem ædificatam? Ac cùm dicat in illâ memorandâ *Aduaticâ* pugnâ, non niſi quattuor *Aduaticorum* millia cecidiſſe, reliquis *in oppidum reiectis*, quis credat *poſtridie eius diei refractis portis* defuiſſe qui defenderent *è viginti nouem millibus*, quos in auxilium *Neruiorum* è iuuentute ſuâ eduxerant? aut ſi poſt quattuor millia cæſa vrbem ingreſſus ſit propugnatoribus

De bell. Gall. li. 5.

De bell. Gall. li. 5.

De bell. Gall. lib. 2

De bell. Gall. li. 2.

deſtitutam, quid magnum fuit potuiſſe capi? imò quid non magnum, auſos tam exiguo numero, tam raro milite, ingentia *Romanorum* caſtra, validumque exercitum vallo tamquam mœnibus cinctum oppugnare? Audiamus Cęſarem: *Pugnatum ab hoſtibus ita acriter, vt à viris fortibus in extremâ ſpe ſalutis, iniquo loco, contra eos qui ex vallo turribuſque tela iacerent, pugnari debuit; cùm vnâ in virtute omnis ſpes ſalutis conſiſteret*. Raro exemplo: hoſtem aggredi vallo incluſum, turribus cinctum, & hoſtem ab ingenti recentique victoriâ animatum, & ex iniquiſſimo loco victorem oppugnare exercitum.

De bello Gall. lib. II.

De *Ambiuaritis* tenuia apud veteres veſtigia reperio, quæ me ducant ad tantum populum, qualem nunc videmus. Illud certum, cùm *Vſipetes*, & *Tencteri* à *Sueuis* pulſi, *Menapios* ſedibus exuiſſent, legatos ad *Cæſarē* miſiſſe, triduanas inducias poſcentes, negaſſeque *Cæſarem*: *cognouerat enim magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus antè prædandi frumentandique cauſsâ ad Ambiuaritos trans Moſam miſſam: hos exſpectari equites, atque eius rei cauſsâ moram interponi arbitrabatur*. dolum dolo luſit. cumque capita Germanici exercitus apud ſe detinuiſſet, aliud ex alio nectens, ſubitâ irruptione imparatos, ducibuſque deſtitutos, adortus, ingenti eos clade attriuit. Cùm ergo *Germani* inter Rhenum ac Moſam conſederint, equitatumque

De bello Gall. lib. IV.

Digitized by Google

tumque in *Ambiuaritos* trans Moſam frumentatum miſerint, perfacilè euincam *Ambiuaritos* intra Moſam & Scaldam ſedes habuiſſe; fuiſſeque illorum agrum *Buſcoducenſem*, *Bredanum*, *Bergizomium*, *Rienſem*, *Antuerpienſem*, ac *Campiniæ* potiorem partem. Neque enim alio ſtatui loco poſſunt, cùm in orbem aliis paſſim populis *Menapij* cingerentur, *Vbiis*, *Treuirenſibus*, *Eburonibus*, *Tungrenſibus*, *Morinis*, *Battauis*. intra ergo Moſam & Scaldam *Ambiuariti* variis prouinciis circumfuſi, *Neruiis*, *Tungrenſibus*, *Menapiis*, *Eburonibus*, *Aduaticis*, *Morinis*: vt non videantur aberraſſe qui *Antuerpienſes Ambiuaritos* arbitrati; maximè cùm à primâ ſui inſtitutione, *Marchionatus Rienſis* vrbs hæc caput fuerit, ac pars quædam Rienſis agri. Adſtipulatur huic ſententiæ *D. VVillibrordi* teſtamentum; quod *Antuerpiam* in agro Rienſi ſtatuit: eadem habes apud *Theofridum Epternacenſem*. Iam verò Rienſem agrum inter *Ambiuaritos* numerant, etiam illi qui *Antuerpiam* inter *Aduaticos* ſtatuunt; vt proinde veriſimile ſit Rienſis agri caput *Antuerpiam* inter *Ambiuaritos* numerandam. quorum potentiam Cæſariano æuo non infimam fuiſſe nullo negotio comperiet, qui cogitauerit trium ingentium fluminum oſtiis, *Rheni*, *Moſæ*, & *Scaldæ*, ac *Oceani* variis æſtuariis vniuerſam prouinciam locupletatam, piſcatu, mercimoniis, commeatu nobilem.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

ANTVERPIA.


Ætas huius, ad Northmannorum excurſionem relata. Qui Northmanni; ac vaſtitas per eos illata. graui demum prœlio victi.

NOLLEM incerta. & quis in tãto ætatum tamquam fluctuum curſu initia incerta, tamquã primam deſignet aquam? Labuntur, vt amnes, anni. quis in illorum volubilitate, primæ ſcaturiginis lympham eliciet primam? & quis in tot ſęculorum denſâ nocte auroram primam, lunam, ſolémve deſignabit primum? Luſerũt varij, prout ingenium tulit cuiuſque varium, amórve traxit in retroſiora: ita ferè æterna cupimus, quæ amamus impenſiùs. Ad *Cimbros* tamen & *Teutonos* reuocant plerique; exinde Cæſariano æuo claros fuiſſe, & *Aduatici* aut *Ambiuariti* principem populi. Ab eo æuo altum vbique ſilentium, in annum quingenteſimum decimum ſextum, cùm ciuitatis huius præfectura à *Theodeberto*, *Vtiloni* tradita, cæſo *Clochilaico* Dano. Meminit victoriæ huius Turonenſis: *Theodoricus Theodebertum* (*Hiſtor. lib. 3.*) *filium ſuum in illas partes cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxit; qui interfecto Danorum Rege Clochilaico hoſtes nauali prœlio ſuperatos*

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google


De Kipdorp poorte
De Roy poort
Paſſus communes.
100 200 300 400 500
Beginhoſ
Annuntiatæ
Col Soc Ieſu
S. Iacobi
Clariſſæ
3.
4.
Raam hoven
Blyckeryen
Paccontius
Franciſcani
Sacellum S. Nicolai
De Sluck poort
Frugt merct
Mola aquaria
1.
2.
Dominicani
De werf
Sep.
S C A L D I S
F L V
Fort S.t Isabel



Digitized by Google

ratos opprimit, omnemq́ rapinam terræ reſtituit. & Sigebertus: *Theodoricus Clochilaicum Regem Danorum Gallias vaſtantem perimit*. neque hac clade, fracti licet Dani, exſtincti fuerunt. Docet Sigebertus: *Northmanni adiunctis ſibi Danis Franciam ac Lotharingiam peruagantes, Ambianos, Atrebates, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Bracbantenſium, omnemq́ circa Scaldam fluuium terram, Monaſteria Sanctorum Vualarici & Richarij, ferro & igni deuaſtant. Inde Vual fluuium ingreſſi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt.* Ambuſſit hæc etiam flamma *Antuerpiam*, in Scaldæ littore vrbium longè primam. neque hîc ſtetit rabies: *Franciam repetunt, Pariſios obſidione cingunt*: ita Regino. *Henricum* Ducem militari aſtu circumueniunt; inde *Trecas* incendunt; *Verdunum* ac *Tullum* vſque omnia populantur. Hæc triſtia. ſequuntur lætiora. *Arnulphus Rex auditâ cæde ſuorum, à Baioariâ contra Northmannos pugnaturus properat cum valido exercitu, quos ſupra fluuium qui Tilia dicitur pedeſtri prælio adortus, tantam ex eis ſtragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix ſupereſſent qui ad claſſem aduerſum nuntium ferrent*. Nobilis victoria: & quæ aliquando Danorum furorem non repreſſit, ſed extinxit. *Danos* dico. idem enim mihi populus *Northmanni* & *Dani*, è Septemtrionali Germaniæ parte in has terras

Anno 882.

Anno 882.

Sigebert. anno 895.

terras delati, quod & nomen *Noort-man* quemuis linguę illius peritum edoceat. Claram huic coniecturæ præfert facem Eginhartus è *Caroli* Magni domeſticis vnus: *Vltimum quod contra Northmannos qui Dani vocantur, primũ piraticum exercentes, deinde maiore claſſe litora Galliæ atq. Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum eſt*. Accedit ad hanc ſententiam Regino, cùm dicit: *Carolo Aquis commorante, ducentarum nauium claſſe à Northmanniâ in Friſiam appuliſſe Danos, Friſiiſque deuictis tributum impoſuiſſe*. vbi *Danos* è *Northmanniâ* educit. *Dani* ergo *Northmanni*. nec hi ab illis alij. Cùm verò Sigebertus *Tiliæ* fluminis qui ſe in Scaldam exonerat, meminit, locum pugnæ deſignat. qui non potuit longè abeſſe ab hac vrbe. nam & claſſe venerant: neque veriſimile longiùs ab eâ conſediſſe; maximè cùm hoſtem adeſſe ſcirent valido exercitu, euocatis in ſubſidium *Galliæ* & *Germaniæ* viribus; ipſumq; Imperatorem exercitus ducem; quo, ſi quid aduerſi eueniſſet, facilior tutiórque receptui via foret, & omnis generis commeatus è vicino mari ad manum; terrorq; ſimul incuteretur hoſti, cùm ingentem in anchoris claſſem ſtare ſciret. & ſanè quantũ oſtẽtatio ad terrorem valeat, nemo ignorat. Etiam antè à Reginone didicimus, non viribus tantùm ſed & aſtu pugnare *Danos* ſolitos, cùm Imperatorij exercitus ducem, foſsâ, ſtipulâ, terrâque iniectâ, ignarum inſidiarum pereme-

emerunt. Ac claſſem hanc in Scaldâ ſtetiſſe quis ambigat? neque enim hîc aliud flumen tantarum nauium capax, neque Tilia claſſem aut grandiores naues toleret; ſed nec modicis, quales fert Tilia, tantus traduci exercitus potuit.

Habemus *Danicæ* ſeu *Northmannicæ* vaſtationis clarum in tranſlatione D. Gummari locum: *Northmanni per fluuium Schendam ad villam Turninum deuenerunt, vbi erat monaſterium S. Fredigandi confeſſoris. Sed Deus propter iniquitatem habitantium exoſus locum, reliquias ipſius iuſſit altè tranſportari, vt nullum eſſet obſtaculum contra deſolationem; quibus ſublatis, velut muro & turribus ciuitatis deſtructis, irruit gens inimica, & incendio perdidit omnia ædificia, ipſúmque monaſterium conſumpſit, homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit.* *Molanus refert.* Sunt & hodie magnæ olim rei veſtigia, vix mille ab vrbe hac paſſibus ad ripam Schendæ: nomenque manet *Durna*. Neque immunem ab hac hoſtili incurſione fuiſſe *Antuerpiam* arbitrari poſſumus, loci vicinitate ſæuitiam prouocante. neque nouum cuiquam videri debet, *Northmannos* per Schendam, nunc pertenuem ignobilemque ac propè ſine nomine riuulum, *Durnam* ſeu *Durnium* adnauigaſſe. ruptis enim eâ parte aggeribus, perfacile fuit à Scaldâ in Schendam tranſmittere. Ac veriſimile eâ ætate nullos fuiſſe aggeres, qui Scaldam arcerent à

Hh Schen-

Schendâ; vt ingens ille nunc campus, ac longa planities, paluſtri plurimùm humiliq́ue ſolo, flumine inſepultus iacuerit: ac ni arte etiamnum arceatur, totum hunc integat agrum Scalda. Et vidimus noſtrâ ætate.

Anno 656. Redeamus vnde digreſſi, fuiſſe *Antuerpiam* ſub *Clochilaico* Dano vrbium non vltimam, clarámque *VVillibrordi* ætate, qui in ipſo caſtello *Antuerpo*, Eccleſiam ſibi à *Rhotingo* datam aſſerit, ac tertiam telonij partem. Eadem habes apud Theofridum Epternacenſem. Sed & ante *VVillibrordum*, ſub *Eligio*, *Andouerpienſes* non municipij, aut oppidi vnius, ſed Prouinciæ populum latè dominantem non infelici coniecturâ colligas; cùm *Lib. 2. c. 3 & 8. vita S. Eligij.* S. Audoënus, *Flandrenſes*, *Andouerpienſes*, *Friſones*, *Sueuos*, pari loco collocet in enumeratione laborum beati *Eligij*, ac tamquam partem curæ ac ſudoris illius, *Flandrenſibus*, *Friſonibus*, *Sueuis* com- *Anno 649.* ponendam.

CAPVT QVINTVM.

Nomen Antuerpiæ. reiectæ opinationes & Gigantum Fabella.

VASTVM hîc mare eſt: quis enatabit integrâ naui, aut tabulâ? ſcopulus eſt multorum naufragiis decantatus. Quid ergo? non elidam aut frangam hîc nauem? nam quocumque hanc flecto,

flecto, præter ſcopulos, breuia aut vada; vt magnâ circumſpectione opus ſit, ac non niſi cæleſti aliquâ lunâ ductrice. Verùm à cuius cælo hoc ſidus ſi non à D. VVillibrordi?

Teſtamentum D. VVILLIBRORDI.

IN Chriſti nomine oportet Chriſtianos viam veritatis agnoſcere, per quam Creatori ſuo dignè meritis ſuis ſeruire, aut oblatio eleemoſynarũ eorum, & deuotio perueniat ad ſalutem: ipſo ſummo dicente: Date, & dabitur vobis. & : Facite eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Idcircò ego in Dei nomine Clemens VVillibrordus *Epiſcopus, cogitans caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea poſſum abluere, & donante Domino ad æterna gaudia peruenire, dono à die præſenti, donatumq́ eſſe perennibus temporibus volo, hoc eſt, ad Monaſterium Epternacum, quod eſt conſtructum ſuper fluuio Surâ in pago Bedenſi. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſacrati Ioannis Baptiſtæ, vel ceterorum Sanctorum, vbi ego ipſe* Clemens VVillibrordus *cuſtos vel gubernator praeſſe videor, &, ſi Chriſto placet, corpus meum ibidem requieſcere debet.*

Hoc eſt quod dono vel trado ad ipſum ſanctum locum Epternacum, omnem rem vel villas, ſeu mancipia, quæ mihi ingenui Franci pro amore eorum & ſalute tradiderunt vel condonauerunt.

Similiter illas res quas Dominus Pipinus *mihi condonauit, vel delegauit, ſeu matrona ſua* Plictrudis, *ſiue filius ſuus Dominus noſter* Carolus *Maior domus: quas res ipſas Dominus* Carolus, *& genitor* Pipinus, *tam me viuente quàm de iſtâ vitâ migrante, pro eorum mercede condonauerunt.*

Et illas alias res ex parte denonimo, vel homines qui mihi eas tradiderunt vel delegauerunt, id eſt, vt hac ſcriptura ſollemniter pro temporum ſerie confirmare debeat, & hi ſunt homines nominibus his nominati.

Rothingus *mihi condonauit, vel tradidit eccleſiam aliquam, quæ eſt conſtructa in* Antuerpo caſtello, *ſuper fluuio Scalde in pago Renenſium, cum appendicijs ſuis, villas denominatas his nominibus*, Baeuualde, VVinnelincheime, Furgalare, *& in ipſo* caſtello Antuerpo *tertiam partem de illo teloneo.*

Et Heribaldus *clericus mihi condonabat & tradidit eccleſiam aliam in pago* Marſum, *vbi Moſa intrat in mare, cum appendicijs ſuis, & Mariſcum vnde Berbices naſcuntur.*

Et Angilbaldus *mihi condonabat vel tradidit villam quæ vocatur* VVadradoch *in pago Taxandrio, ſuper flumine Duthmalâ.*

Et Ansbaldus *mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villâ quæ vocatur* Buſloth, *in pago Taxandrio.*

Et Berethinda, *Deo ſacrata femina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villâ* Bo-

Bocanſchot, *in pago Taxandrio.*

Et Henricus *mihi condonabat in villâ quæ vocatur* Pieplo.

Et Engelbertus *mihi quondam donabat, vel tradebat mihi omnem portionem ſuam in villâ quæ vocatur* Hineſloten, *in pago Taxandrio.*

Item quod Engelbertus *mihi condonabat vel tradebat villam quæ vocatur* Alpheim, *in ipſo pago Taxandrio.*

Item Ansbaldus *clericus mihi condonabat vel tradebat villam quæ vocatur* Dioſna, *in pago Taxandrio ſuper fluuio Digenâ.*

Et Thietbaldus *mihi condonabat vel tradebat eccleſiam aliquam quæ eſt in villâ* Montnahim, *quæ* Araride *vocatur, cum appendicijs ſuis.*

Et illuſter vir Hedenus *mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villâ quæ vocatur* Aimiſtadi *ſuper fluuio* VVielheo *in pago Turingaſnes.*

Superiùs nominatas vel ſcriptas ego Clemens VVillibrordus *trado atque transfundo, ad illam caſam Dei ſuperiùs nominatam* Epternacum, *vel ad illam ſanctam congregationem Fratrum ibidem Deo ſeruientium; eâ verâ ratione, vt quidquid de iisdem rebus ſuperiùs nominatis facere decreuerint, in omnibus habeant poteſtatem faciendi, vt & ibidem omni tempore pro noſtrâ mercede vel ſeniore noſtro Carolo Maiore domus, ſeu eorũ hominum qui mihi*

ſuas res tradiderunt, proficiant in augmentis.

Et illud placuit nobis inſerendum. Si fuerit vllus de heredibus vel proheredibus meis, ſeu qualibet oppoſita aut extranea perſona ſeu iudiciaria poteſtas, quæ contra hoc teſtamẽtum vel donationem meam, quam ego Clemens VVillibrordus *Epiſcopus ſanâ mente, plenóque conſilio & deuotione integrâ fieri iuſſi, venire aut agere vel eam infringere voluerit, & ſi iſta charta ei oſtenſa ad relegendum fuerit præſentata: ſibi ipſe exinde compeſcere noluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & ſanctorum Angelorum, & ab omnibus eccleſijs, vel conſortio Chriſtianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Iudâ, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra viuos deglutiuit, & inſuper inſerat vnà cum ſorio fiſco auri libras decem, argenti pondo quinquaginta coactus exſoluat, & quod repetit euindicare non valeat. Actum anno* VI. *regnante* Theodorico *Rege.*

Vniuerſum Teſtamentum putaui attexendum, & nefas defruſtare aliquid ab hoc firmamento, in quo ſidus illud, cuius ductu *Antuerpum* firmaui, nomen reddidi tot ſæculorum noctibus tenebratum: deflexit exinde paullatim, vt humana ſunt, & ex *Antuerpo*, *Antuerpia* dici cœpta, hodieque perſeuerat. Iam vnde hoc nomen? tenebræ hîc mihi, & non niſi à nouo aſtro pellendæ.

ergo

ergo opinationes ſtatuam. quamquam ingens adhuc nouarum campus. quis curſum tenebit certum? obſcura res eſt, & in quâ pedem vbique figas in altiſſimâ nocte. Sunt qui *Handt-werpiam* à manibus proiectis voluerunt: ac ne quid fabulæ deeſſet, Gigantem repererunt, cuius etiã dentem oſtentant palmo maiorem. Credamus habuiſſe duos ſupra triginta, quantum os illud fuerit, in quo tot palmares dentes luſerint? ſex pedes iuſtam viri longitudinem ſtatuunt, quatuor palmi pedem, vt quatuor digiti palmũ. palmi ergo XXIV. virum dabunt. hunc virum arbitreris ludere inter dentes Gigantis noſtri. monſtra narro. propiùs etiam ſubducamus calculum. Concedamus in iuſto viro ordini dentium, longitudinem palmorum duorum, quæ duodecima iuſti hominis pars eſt; neceſſum erit Gigantem noſtrum palmos complexum minimum XCVI. qui cubitos XVI. ſtatuunt, pedes XXIIII. licet dentium illius ordini non niſi octo palmos conceſſerimus. Quid ſi palmos tribuamus XVI. centum & XCII. palmos æquauerit. qui cubitos XXXII. dabunt, pedes XLVIII. quanto hic Goliadâ celſior, quem Scripturâ teſte ſcimus ſex tantùm cubitorum & palmi vnius fuiſſe, pedum nimirum IX. & palmi vnius? Eſt & aliud in Gigante noſtro non minùs portentoſum. dens ille quem ad fidem faciendam oſtentant, ſedecim vncias appendet: cùm interim dens viri maximus

mus, numquam aut rarò drachmam attingat aut excedat: ſingulæ autem vnciæ cùm octo conſtent drachmis, neceſſum fuerit Gigantis noſtri dentem, CXXVIII. drachmas appendiſſe. Iam ſi à mole dentis, ad reliquum corpus tranſeamus; cùm in viro ſex pedum dens maximus drachmę ſit vnius, quantum arbitrabimur Gigantem noſtrum, in quo dens vnus drachmas pendet centum viginti octo? Scio veteres variè fabulatos, credulitatiſque facilitate ad immania Poëtarum ſomnia deductos. Memini Maronis:

Hic & Aloïdas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis.

Et alibi eleganter:

Fama eſt, Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis;
Et feſſum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.

Quid ſi ingenti vrbis huius mole vrgeri Gigantem noſtrum dixero? Pari felicitate Pindarus:

Ὅς τ' ἐν αἰνᾷ ταρτάρῳ κεῖ-
ται θεῶν πολέμιος
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος, τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψε πολυώ-
νυμον ἄντρον, νῦν γε μὰν
Ταί θ' ὑπερ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι,

Σικε-

Σικελία τ᾽ αὐτοῦ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα. κίων
Δ᾽ οὐρανία συνέχει
Νιφόεσσ᾽ Αἴτνα πάνετες
Χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Qui in horrido tartaro iacet
Deorum hoſtis,
Typhon centiceps, quem notiſſimum
Cilicium aliquando nutriuit antrum,
Ipſius nunc vltra Cumas ſepientia mare
Litora, & Sicilia hirſuta premit pectora.
Niuoſa verò Aetna niuis perpetuo acuta
Seu frigore vrentis nutrix, columna adinſtar,
Cælo minantis ipſum cohibet.

Neſcio an non Gigas noſter, ſi non centiceps *Typhon*, centimanus *Briareus*, inter Centauros ſtabulans, horrendum

Aeſtuet, atque omnem Cocyto eructet arenam.

Concedamus aliquid Poëtis, quibus facile ſemper in mendacio ingenium. hic hydram felicibus renaſcentem reperit vulneribus; ille Centauros, equos hominibus ſuis ſomniauit implexos; alius *Mercurium* alatum, ac *Triuiam* trinis capitibus ac multis manibus horrificam: quidam de hominibus aues, flores, arbores, deque feris homines ingenioſâ naturarum demutatione fabulati ſunt. Et ne ſoli Poëtæ fabulas populo venderent, reperti Philoſophi, qui humanam animam pro merito-

Digitized by Google

rum ratione, hic inſultantem in aquilâ, ibi deſultantem in anguillâ, alibi in ſterquiliniorum beſtiis vermium venena ruminantem, ſtatuerent: ac modò tranſeuntem in capram, modò in balenam, inde in coturnicem, imò & in cadauerinam, rurſumque in humanam; ſemperq́. memorem ſui, in vrſo, in leone, cane, talpâ, veſpertilione. Fuerũt & Hiſtorici, ne quid deeſſet ſomniorum vanorum, qui Poëtas imitati, naturæ an ingenij ſui portentis, narrationes farſerunt. Plinius in Cretâ cadauer narrat repertum ſex & quadraginta cubitorum, Strabo in Tingi Mauritaniæ ciuitate, ſexaginta cubitorum, Boccatius non longè à Drepano cubitorum ducentorum; ita cum ætate creſcunt fabulæ: *Pallantis* corpus altitudine Romana ſuperaſſe mœnia, vulnuſque à *Turno* illatum quattuor pedum hiatu patuiſſe, à Bergomâ Eremitâ ex Martino accepimus. Quantum ergo vulnus, quo periit, accepit Gigas noſter? & quo enſe vaſtiſſimi illius corporis amputata manus eſt? Iam quid potuit ad omnem fabulam explendam reperiri accommodatius, *Brabonem Cæſaris* collegam, Alcidem nouum, Druonis noſtri, rediuiui Erycis, manum præſcidiſſe: tam nobile collegæ ſui factum aut ignoraſſe *Cæſarem*, aut preſſiſſe ſilentio, qui non tacuerit *Sextum Baculum*, *C. Voluſenum*, *T. Pulſionem*, *L. Varenum*, pluréſque inferioris notæ & operis?

Beca-

Becanus noſter *Antuerpiam* à Belgico aen-werpen/ *adiectu*, vel aen-de werue/ *apud aggerem*, deducit, felici ſemper coniecturâ. Ego nihil hîc pugno. *Becanum* tamen præeuntem lubens ſequor. Nam in tam confusâ ac diffusâ planè re, tamquã in patentiſſimo Oceano, propiùs ille mihi portum tenuit, & viam tãdem aliquam ſignauit tamquam aſtro.

CAPVT VI.

Marchionatus Antuerpienſis.

QVis ad genus ſuum deducat? obſcura res eſt. & ferè initia rerum annorum mole labant, & primigenio deſtituta ſidere, tamquam per obſcurum noctis aut denſam nubem cælum oſtentant ſuum. E manuſcripto Lipſiano codice:

Henricus genuit Henricum Louanienſem:
Quilibet iſtorum Romani Marchio regni.

Nouitia hæc. Vuaſſenburgius à *Tungrorum* Principibus deducit, inde ad *Carolum Magnum*, poſteróſque. audax factũ. at neſcio an pari robore. ex voto meo velim ſtare auctori fidem. Lazius, Becanus, Lipſius ad annum trahunt IↃXI. *Vtilonem* enim *Theodonis* magni Boiorum Ducis fratrem honorariâ *Marchionatus* Antuerpienſis pręfecturâ, à *Theodorico* Ludouici Magni Gallorum Regis filio, donatum volunt: adnitente cum primis *Theodeberto*, *Theodorici* filio, qui *Clochilaicum* Da-

norum Regem poſt ingentes abactas prædas, depopulataque hoſtiliter vicina Marchionatui loca, terreſtri ac nauali clade, ad internecionem deleuit, conſilio manuque potiſſimùm *Vtilonis*; cui etiam ſororem in vxorem *Theodebertus* dedit. è quo matrimonio *Caroli Magni* magnum genus. Magnum proinde *Marchionatus* nomen, à quo tantorum progenies Regum, mille & quod excurrit annis, nuſquam interruptâ ſerie, cõtinuata, in *Hiſpaniæ Reges Auſtriacamq;* ſe diffundens domum. Hic ergo tot Principum primordia, tot Imperatorum cunabula, non Romanorum modò, ſed & Ieroſolymorum, quorum princeps *Godefridus*, in Antuerpienſi Marchionatu ſuo, exercitus in Aſiam ducendi primitias roboraque delegit. ac in ipsâ adeò vrbe, *Equeſtri* titulo ciues duodecim, duodenario Apoſtolorum numero prouocatus, decorauit, maximæ rei magna in hoc Apoſtolico delectu initia daturus, dum felici omine, ex vnâ hac vrbe ſecuturarum victoriarum prænotionem quamdam, ſpe plenus è ſacrato hoc numero, ominatur; & ſpem, acti de *Turcis Saraceniſq;* ſuperarunt triumphi. Quis proinde vetet gloriari *Antuerpiam*, tot Regum Principumque parentem? tot Imperiorum matrem? ferè enim quæ eueniunt origini debemus. quam ſi tollis, omnem ſecuturam ſeriem præſcindis: neque iam vlla euentuum poſteritas numeretur.

Quo

Quo verò loco *Belgij* Principes, ſacri hunc Imperij *Marchionatum* habuerint, vel ex eo colligas, quòd *Marchionatum* vrbi antetulerint. Cùm enim *Ludouicus* Flandriæ Comes à *VVenceſlao* Brabantiæ Duce *Antuerpiam* impetraſſet, nulla quantumuis ingens pecunia digna viſa fuit, vt *Marchionatu* cederet. Quare cùm vrbem feudalitio iure Comes poſſideret, caruit *Marchionatus* titulo: & licet tenuerint Flandriæ Comites vrbem in annum M. CCCCIII. cùm ad Brabantiæ Duces rediit, *Marchionatu* tamen excluſi fuerunt. *Anno* 1357.

CAPVT VII.

Arx ſiue Burgum: perantiquam videri. Oppidi incrementa.

ARx ſiue *Burgum* vetus mihi, quo nunc loco templum *D. VValburgis* ſororis *D. Bonifacij* magni Germaniæ Apoſtoli. ac ſi Annalibus credimus, ante annos mille, non fuit inter *Belgij* vltimas: ipſaque ſtructura vetuſtatem loquitur, cuicumque ferendo æuo idonea. cuius ſi aream deſideras, metire muri qui flumine alluitur extimam partem, mille minimùm paſſus complectitur.

Hæc prima vrbis initia, vetera indubiè, & quæ Romanam oſtentant ætatem, aut hac maiorem. ſed perexiguo ambitu. Creuit deinde ante annos mille, adiectione vicini agri. complectitur hic

nunc *Senatoriam domum*, *Dominicanorum* & *Sororum nigrarum* cœnobia: auxit iterùm pomerium *Henricus* Dux, anno MCCI. ita iis qui protulere imperium, vrbis etiam terminos propagare datur. continetque hæc nunc area *D. Virginis* ædem ſacram, *Prioratum S. Saluatoris*, domum *Patrum Societatis Ieſu*, Sacella varia. maior tamen acceſſio facta ſub *Ioanne* III. *Brabãtiæ* Duce, anno MCCCXIV. claudit enim hic locus ambitu ſuo, Tẽpla *SS. Michaëlis*, *Georgij*, *Andreæ*, *Iacobi*; cœnobia, locaque ſacra plurima, *Franciſcanos*, *Carmelitas*, *Capucinos*, ſcholas *Societatis Ieſu*, *Auguſtinianos*, *Alexianos*; *Hoſpitale* maius, *Nonnas*, *Tertiarias*, *Albas ſorores*, *Clariſſas*, *Annuntiatas*. Iterùm pro fortunâ creſcente populo & opibus termini producti, ſub *Carolo V.* anno MDXLIII. elegans & diffuſum opus, & quod in mille & ſexcentos in longitudinem paſſus extendatur, in latitudinem in quadraginta quatuor ſupra ducentos: eſt hîc *Ooſterlingana* domus ampla & venuſta. tandem *Caſtrum* cum planitie ſuâ acceſſit anno MDLXVII. ſub *Philippo II.* Hiſpaniarum Rege.

Iam mœnia qui curioſiùs ſpeculatus, facilè videbit, nullis *Europâ* totâ cedere, ita è viuo patrio marmore ſolidè firmata, procurrentibus paſſim validiſſimis propugnaculis in mutuam tuitionẽ, mutuum proſpectantibus. De quibus hoc audeo: certaſſe hîc omnium artificum ingenia, hoſtibus ad

ad terrorem, ciuibus in præſidium: tantâ interludente venuſtate, vt dū molem ſpectas roburque, arbitreris omnem abeſſe elegantiam; hanc ſi intuearis, putes deeſſe robur: rarâ in humanis miſtione, roboris & venuſtatis. Si latitudinem quæris, patentiſſima eſt: nam & in ſupremâ planitie, tamquam in ſummo vertice procurrit in pedes CX. Validum opus, &, quod magis mireris, arboribus perpetuis conſitum, tam ſcitè & ad lineam, vt nulla, conetur licet, dentem imprimat inuidia: ita extra etiam omnem contumeliam elegantia eſt. Vrbis portas è ſolidâ credas rupe ſtare, opere omnes Dorico: vt meritò dubites, elegantia, an firmitas vincat. Quid referam foſſas quæ mœnia ambiunt? ingentes omnino in orbem ductæ, quà fluuio diffidebatur; nam reliquã partem latiſſimum flumen tutatur. Ædes mirâ felicitate ad omnem negotiationem, varietatem, ſplendorem, ingenio plurimùm in iis naturam ſuperante, numerat Guicciardinus tredecim millia & quingentas (& ſupereſt etiam ædificando area: cuius ſi amplitudinem metiaris, tribus minimùm millibus locum præbeat) plateas ſupra ducentas; quas in laxiſſimum non rarò proſpectum, & qui cuiuſuis oculos fugiat, videas protenſas; ædium circumſecus elegãtiâ, & quæ continuâ quaſi ſerie ad oſtentationis inuidiam æmulumque ſplendorem depugnent, firmatas. Nihil perſimile huic *Europâ*

totâ,

Digitized by Google

totâ, ſeu viarum laxitatem, & ad perpendiculum ductus, ſeu auguſtam ædium amplitudinem intuearis: quas non tam priuatorum quàm Principum arbitreris vſibus deſtinatas. Accedunt adhęc ſupra ſex & viginti fora vario opulentata mercatu.

CAPVT VIII.

Frequentia. ciuium multitudo. ingens negotiatio.

TAM varia vrbis incrementa quid aliud docent? neque producta hæc ad terrorem, aut ad nudam oſtentationem profecta. Quid quòd ætate noſtrâ cogitatum ſeriò de nouo augmento, veriùs, de nouæ vrbis conditu; quæ vniuerſam propè hanc quam videmus, ambiret immani flexu? nec cogitatum tantùm, ſed initia ducta, & progreſſum non infeliciter. vetuerunt tempora, & in medio curſu conatū præſciderunt. Magnum alioqui paremq́; operi architectum nacti eramus, *Gilbertum van Schoonbeck*; & quo meritò ſe iactet *Antuerpia*, componatq́ue cum quocumque veterum. Viuere deſijt præmaturè, ætatis anno XXXIX. longiore vitâ digniſſimus. credas tamen ſæculum vixiſſe, ſi quæ in veteri, ſi quæ in vrbe nouâ, ab ingenio & manu illius, intuearis. prodigia ſunt: nec tantorum annorum, ſed multarum ætatum opera, ac non niſi à Regum ærariis. quæ ſi propiùs diſcuſſeris, dubites, audaciore ingenio, an feliciore manu

manu peregerit. & cogitabat maiora. ſuburbia, in quibus ſupra duo ædium millia, ac inter has, Regum magis ac Principum, quàm priuatorum domus longè plurimas, foſsâ & mœnibus claudere.

Omittamus cogitationes, rem ipſam aggrediamur; & frequentiam aliquando, tamquam è ſcenâ aut theatro, ſpectandam proponamus. decurram per capita,& non niſi punctuatim, quaſi per ſummum verticem, aut capillum, ſingula. Frequentatiſſimos annos reperio, quinquageſimum ſextum,& qui ſequuntur in ſeptuageſimum ſeptimum. Erant vrbem incolentium, ſupra centum millia. deſumam in huius rei fidem, è veteri codice anni 1568. numerum. cenſa illo anno ciuium capita, in primâ regione ſeu tribu (wijcken linguâ noſtrâ nominant) 6239. in ſecundâ 5929. in tertiâ 6124. in quartâ 6512. in quintâ 5218. in ſextâ 5810. in ſeptimâ 9627. in octauâ 6943. in nonâ 7419. in decimâ 7529. in vndecimâ 7234. in duodecimâ 7164. in decimatertiâ 8248. capita ergo vniuerſim 89996. Hæc ciuium. erant eodem anno variarum hîc gentium familiæ, quæ domicilio locum delegerant. capita in his 14985. erant proinde capita 104981. atque hæc extra nautas, quorum ingens numerus in nauibus. Erant ſuper hæc in ſuburbiis capitum 50. millia, quibus ius ciuitatis, non ſecùs ac in vrbe natis. iam peregrè

Kk aduen-

aduentantes quis enumeret ? lego anno CIϽIϽ-XLIX.LVI. LIX. LXI. numerata ciuium & aliunde accedentium capita, ſuprà CC. millia. nemo mirabitur, qui cogitauerit, quanti hîc è variâ gente, Germani, Hiſpani, Luſitani, Angli, Genuenſes, Florentini, Mediolanenſes, Lucenſes, Piſani, quantique è reliquis Italiæ, adeoque & Galliæ vrbibus: ſanè è ſolâ Hiſpaniâ, trecentas aliquando incoluiſſe hanc vrbem familias accepimus, potentes pleraſque, & quæ ingentes ſecum opes traherent. Quid quòd ſtatâ bis de die horâ, meridianâ & claudente diem, ſupra quinque hominum millia, in deſtinatum negotiationi locum conuenire ſolita? & numerat *Guicciardinus* CCC. ætate ſuâ pictores, ſartores ICC. aurifabros CXXIV. chirurgos CX. piſtores CLXIX. omnes familiarum ductores, & arte ſuâ magiſtros.

Tranſeamus ad res ipſas. Naues non ſemel in flumine bis mille & quingētas ſpectauimus, cùm in anchoris poſteriores ſtarent, duas, tres etiam ſeptimanas, priuſquam terram aut tenerent cominus, aut onere ſe leuarent; nec erat dies, quâ non quingentæ minimùm adnauigarent, aut enauigarent omnium generum mercibus onuſtæ: ac vno non raró maris æſtu cccc. appuliſſe accepimus.

Iam currus vix fidem inueniant. nulla dies non ducentos vidit vectoribus grauidos: taceo Germanica plauſtra, Hanſatica, Lotharingica, Galli-

ca,

ca, quæ nullâ non ſeptimanâ millia adæquarent, ſub amico pondere gementia: taceo ruſticos carros omnis rei commeatum deportantes, qui hebdomadatim, decem millia ſuperarent: taceo in animorum laxamentum, in luxum etiam faſtúmque deſtinatas rhedas facilè quingentas. quæ ſingula quanta fuerint, nemo non videt.

Quòd ſi ad negotiationes ipſas, remque pecuniariam, oculos animumque reflexeris, maiora videbis. Dixeram in *Antuerpiâ* meâ, quinquaginta auri milliones, annis ſingulis, in rerum emptionibus, ac venditionibus, in vnâ hac vrbe abſumi ſolitos; corrigo. inuenio namque accuratiore diſquiſitione, nullo non anno è ſuprà recenſitis, quingentos argenti milliones, auri nimirum centum triginta tres, & quod excurrit, in rerum emptionibus venditionibuſque erogatos. atque hoc extra campſualem pecuniam, illam reciprocam, & tamquam adlabentis relabentiſque Oceani æſtu, adfluentem refluentemque ſtatâ acceſſione & fugâ; dum per vniuerſum orbem inambulat fenerario itu reditúque. hanc nulli propè numeri, arithmetica nulla expleat. Fuit hoc: eritque, vbi benignior afflauerit cæleſtis aura.

Finio hoc caput meliore negotiatione, ingeniorum & liberaliſſimarum artium: quarum, in vnâ hac vrbe, ludi fuerunt ſupra CL. omnium ſcientiarum linguarumque vernacula domicilia. hinc

plerique antequam pedem vrbe extulerint, omnium loquuntur linguis: nec viris hoc tanùm, ſed & mulieribus perfamiliare eſt.

CAPVT XI.

Aduerſa vrbi.

O *Nulla longi temporis felicitas!* Increměta dedi, imminutionem videamus. humana hæc: ſumma petimus, vix media attigimus, & præcipitio locus eſt. Vbicumque te paullò è plano & ſupra hanc aream erexeris, caſum time. Quid quòd in ipsâ arenâ deiectâ, & humili, lapſus. Irruunt fortuiti caſus, aut *Dei* imperio laſciuiam & faſtum depreſſuri, aut ab opibus, & grandi populo, diſſidia & in partes ſectiones. Publica priuataque narro. Extrema paſſam à Danis Antuerpiam, ac in ignibus totam cõſediſſe vetus codex teſtatur anno DCCCXXXVII. vrbis deinde partem maximam,

In ſegetem veluti cùm flamma furentibus Auſtris
incidit, vna abſumpſit flamma, anno MCCXXXVI. ſæuiit eadem, tres nobiliſſimas depaſta plateas, *Nieu-ſtraet*, *Kip-dorp*, *Keyſer-ſtraet*, anno MCCCXCVI, ingenſque rurſum ignis anno MCCCCLVI. & anno CCCCLXI. ac ante hæc, anno MCCLXIII.

Anno 1533. Erat poſt hæc negotiationi deſignata domus ampla

pla & nobilis, & qualem nulla viderunt regna parem. valuit hîc flamma. ita nihil æternum. voluuntur fata, & tamquam imprudenti nexu tollunt deprimuntque, ibi humilem caſam, hîc Regum domus: & qui ſteterunt cælo vertices inuidiam facturi grandini & nimbis, verſi in cineres plebeio calcantur pede. *Anno 1583.*

Arcem huius vrbis quis ignorat? nullum viderat Europa validius propugnaculum. vix decem annis ſteterat, cùm pars maxima æquata ſolo. nec multò, ſurrexit iterùm tamquam poſt buſta phœnix fûneri ſuperſtes ſuo. *Ædificari cœpta anno 1567.* *Anno 1577.*

Senatoriam domum, principem vrbis domum, vidimus ſuperbo ſtantem vertice: vidimus iacentem ab inſolenti calonum manu; eademque flāmâ ſeptingentas priuatorum ædes ſub ingenti diuitiarum mole fatiſcentes, paucis horis abſumptas. Quid? tot opera, quæ luſtrare ſingula ſingulas vrbes poterant, horulâ euerti vnâ, vt propè Antuerpiam Antuerpiæ quæramus? Quid querimur mortales? an inexſpectata aggrauant, & nouitas adiicit calamitatibus pondus? non hac lege intrauimus, eamdem exituri? inter peritura naſcimur, viuimus, cadimus. Circumfer oculos, an non quo quidque fulſit ſpecioſiùs, cecidit citiùs? non quidquid longa ſæculorum ſeries ſtruxit, dies vnus ſpargit, & diſſipat? non, vt alia deſint, domeſticus aut externus hoſtis, nullo impellente, *Anno 1560.* *Anno 1576.*

quæ ætates plurimas tulerant, ruunt? & non vbi nunc Campiniæ ſolitudines, exſurgere regia poteſt? & in quo nunc turba ſuffocatur, fieri ſolitudo? Pilæ ſumus, ludi mortales ſumus. Intueamur hęc fortuita, omnia, ſingula: & vbi accuratiùs cuncta luſtrauerimus, quid aliud Fortuna facit, quàm vt in hunc mortalium cœtum, diuitias, honores, regna, imperia, gratiam ſpargat? quorum quædam inter diripientium manus ſciſſa ſunt: alia infidâ ſocietate diuulſa; alia cum ruinâ eorum, in quos deuenerant, prenſa. omnia denique dum aut rapiuntur, aut poſſidentur, vel cum animâ excuſſa. Quid ergo, damno hæc munera? nihil dico. & tamen vnum dico: prudentiſſimum quemque, ex voto Senecæ, dum induci videt munera, à theatro fugere; ſcit enim magno parua conſtare. At plerique hîc inter primos verſantur, vbi ſpei aut lucri aliquid circumſpiciunt; nec vnâ contenti manu, plures vouent. Miſeri! qui vilem non rarò quæſtum, ingenti ruinâ luunt: & dum ſingulis inhiant auidi, omnibus excluduntur. Vis monentem? ſecede mecum quiſquis es ab his ludicris, & da raptoribus locũ. Veniet dies, & fors iam pulſat fores, quę prædã & raptorem ſuũ raptu rapiet vno. Quid igitur? virtutem ſequere. Nulla hanc flãma, ruina nulla, inferiùs adducet, aut à celſo mouebit vertice. Hæc vna moueri neſcit: ſtata enim illius, vt cæleſtium, magnitudo eſt, & immota quies.

Verùm

Verùm ad aduerſa. inceperam à flammâ, finio in illâ. Templum *Dei Matri* ſacratum, abſumpſit edax ignis, & quidquid hîc magnum, præter turrim & chorum, ſuſtulit vna dies. non vmquam tulit, *Anno 1533.*

Documenta fors maiora, quàm fragili loco
ſtarent, quæcumque humanâ fabricata manu. vix vna dies interfuit inter auguſtiſſimum *Europâ* propè totâ templum, & nullum. eoque hic caſus triſtior, quò ferè ſine exemplo. Multa namque templa, incendia, aut de cælo fulmina vexarunt; rara tam ingentia abſtulerunt, tam breui morulâ tanta depaſta ſunt. Vnum ſolatur, neſcio an alteri, vrbi ſanè veſtrę proprium, ſurrexit auguſtius. Ita ferè, quidquid hîc periit, perijſſe credas vt reſurgeret altius. felicitas hæc veſtra eſt.

Intra mœnia hæc euenerũt. extra illa, ingentia à *Roſſemio* damna illata. ſæuiit ferro & igne: ſed ferè *Anno 1542.* in imbellem ruſticam manum, in ligna & lapides, in templa & monaſteria, *Cartuſianorum, Nonnarum, Beginarum, VVillibrordi*; in quidquid ſacrum profanumque. Quid magnum fuit ſternere quæ nullo propugnatore defendebantur? Non eſt viri, ferocire in lapides, in non repercuſſuram calcem. Viri eſt, vbi hoſtem oſtenderis, vbi inimica agmina, vbi hauriendus aut dãdus ſanguis, ſtare impauidum, occupare priorem, &, ſi quid proſperum aduenerit, inſtare fortunæ; ſin ſecùs, abolere ignominiam

miniam fortibus auſis. nam in proſperis ferocem eſſe, muliebris ingenij eſt: & ferè qui in ſecundis, vbi nulla contrà dextera ſteterit, ſæuiunt, his in aduerſis

Refugiat timidis ſanguen, atque albeſcant metu; nec à ferro aut manu, ſed à ſolis pedibus auxilium petant.

CAPVT X.

D. Virginis ædes, reliquaq́; vrbis paræcia.

QVALE *per incertam Lunam, ſub luce malignâ, Eſt iter in ſiluis*; tale hîc mihi, ſi ab origine primâ eruenda & narranda ſingula. Hoc certum, in æde illâ principe non ſemper fuiſſe Canonicos, nec tenuiſſe hunc locum. alterum non minùs certum: Præpoſitum hîc olim fuiſſe, magnâ dignitate, qui duodecim Canonicis, vniuerſoq́ue præeſſet Clero. ſedem ille fixerat, vbi nunc templum Archangelo *Michaëli* ſacrum. ceſſit loco, rarâ largitate; rariore etiã, cùm Canonicatibus quattuor: quos *Nortberto* Præmonſtratenſium conditori, ob res præclarè in hac republicâ geſtas, cum Eccleſiâ tradidit, locum ipſe ſibi ſuiſq́ue delegit alium. Fama tenet fuiſſe hîc ſacellum *Diuæ Matri* ſacrum, & 400. annis claruiſſe miraculis frequentibus & magnis; quin & perſeueraſſe prodigia in annum M. D. XXXIII. cùm incen-

Digitized by Google



Google


GINIS MARIÆ
LINEATIO.

Digitized by Google

incendio Eccleſia periit.quę vt primũ vrbi reddita eſt poſt immanes cineres, reddita & prodigia eſſe: paullatim tamen refrixiſſe, fiduciâ labante. Fide enim & ſpe miracula ferè ſurgunt, perſtantque. ea ſi tepeſcant, ac pulſo quaſi gelaſcant calore, miraculorum curſum ſtare, nec iam vltrà arentia benigniore fluxu ſuo rigare videmus paſcua. Ego tamen nihil in hac re audentiùs affirmo; nec auſim in tot ætatum decurſu, certioribus deſtitutus. Hunc tamen delegiſſe Præpoſitum locum res loquitur; reliqua obſcura. ante Nortbertum fuiſſe nemo dubitabit. quot antè annis, quis eruat? Dicam teſtata è veteri manuſcripto codice: *Godefridus Bullionenſis, qui anno* M. X C V I. *cum multis Principibus Belgicis in expeditionem Ieroſolymitanam profectus, anno* M. XCIX. *eam cepit, & primus Ieroſolymorum Rex creatus eſt; Decimam duorum manipulorum, quam ab Imperatore in feudo tenuit, Eccleſiæ D. Archangeli Michaëlis ad vſum Canonicorum ibidem ſeruientium contulit.*

Erat tunc Eccleſia, nec ignobilis, Præpoſitus, Canonici, in quos Ieroſolymorum Rex ab ipsâ Palæſtinâ munificentiam teſtari voluit. Nec ſtetit hæc liberalitas in vno Rege, tranſiit ad Imperatorem: habes in eodem codice: *Henricus IV. Romanorum Imperator, anno* M. C. XIX. *litteris ſigillo ſuo munitis, conſilio & petitione Godefridi Ducis, conceſſit Eccleſiæ S. Michaëlis Archangeli ſita in Burgo qui*

 dici-

dicitur Antuerp omnem decimam quæ continetur à terminis Zantſlit vſque Olmezemuthen, ita vt quartam eiuſdem partem Eccleſiæ Præpoſitus ſibi retineat, & reliquas in vſum Fratrum conferat. Ratam donationem hanc habuit Lotharius. verba codicis ſunt: *Lotharius tertius Romanorum Imperator anno* M. C. XXXV. *indictione* II. *anno Regni ſui S. Imperij* II. *omnem decimam ab anteceſſore ſuo Henrico IV. collatam, cum integritate Præpoſituræ, & omnibus appendiciis ſuis Eccleſiæ ſanctæ* MARIÆ *in Burgo qui vocatur Antuerpia aſſignat*. Conditorem ſanè ſuũ agnoſcit hæc Eccleſia *Godefridum Bullonium*, & publicè teſtatum reliquit: *Regnante in terrâ ſanctâ felicis recordationis Illuſtriſſimo Chriſtianiſſimóque Principe fundatore noſtro Godefrido de Buillon Ieroſolymitanorum Rege*. Hæc Decanus & Capitulum, in veteri membranâ, anni M. CCCCX. Iunij die X.

Sequitur in ſuperiore manuſcripto codice: *Anno* M.CXXIV. *Præpoſitus ſe tranſtulit cum octo prabendis ad Eccleſiam* S. MARIÆ, quam Burchardum Cameracenſium Archiepiſcopum ſacraſſe docent hi verſus:

Vndecies centum ductis & ſex quater annis
Virginis à partu conciliante reum,
Burchardus Præſul hæc atria, nec minùs aràm
Sacrauit, mediam quæ tenet Eccleſiam.

Octo deinde Canonicatus tranſierunt in duodecim:

cim: anno verò M.CCXL. in XXIV. Laudanda res; & neſcio an hoc æuum exempla donet vltroneæ huius depauperationis, cùm octo in opum ſuarum ſocietatem quattuor euocant. nec his contenti, alios adſciſcunt duodecim, quos vt dignitate, ita prouentuum acceſſione æquant per omnia ſibi. Denique in eodem codice hæc lego: *Feriâ ſecundâ poſt Omnium Sanctorum anno* M.CCLVII. *ordinatum in Capitulo fuit, vt poſt deceſſum vel ceſſionem G. de Pervveys Præpoſiti, commutetur nomen Præpoſiti in nomen Decani: qui eamdem haberet iuriſdictionem quam Præpoſitus, & duplicem præbendam ſicut olim Præpoſitus. Fuit dicta Capitularis ordinatio per Præpoſitum G. de Pervveys ratificata, & poſtmodum per Nicolaum Epiſcopum Cameracenſem, Alexandrum IV. & Vrbanum IV. Romanos Pontifices.* Primum à conſtitutione hac Decanum reperio *Henricum Noſe* anno M. CCLXXI. longâ exinde & nuſquam interruptâ ſerie duos & viginti numero. Pontificem inter hos vnum *Adrianum VI.* Archiepiſcopum Biſontinum vnum *Franciſcum Buſleydium:* Epiſcopum etiam vnum *Carolum Maſium* Ipreníem, mox Gandenſem, qui in Decanatu ſucceſſorem habet *Ioannem del Rio.*

Tranſiit tandem Collegiata hæc Eccleſia, anno M. D. LIX. in Cathedralem, adlaborante *Philippo* II. Hiſpaniarum Rege, Pontifice *Paullo IV.*

Verba dabo; quoad ea licuit ex erectione nouorum per *Belgium Epiſcopatuum* defruſtare. ac primò *Antuerpienſem* Eccleſiam eximit à Cameracenſium iuriſdictione Pontifex: *Ex certâ ſcientiâ, de fratrum noſtrorum conſilio, ac de Apoſtolica plenitudine poteſtatis, ad Dei omnipotentis honorem, & ſanctæ ipſius Eccleſiæ auctoritatem*, Antuerpienſem Eccleſiam atque Diœceſim *auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò eximimus, ſegregamus, diuidimus, & ſeparamus ab omni iuriſdictione, poteſtate, & ſubiectione*, Archiepiſcopi & Capituli Cameracenſis, *atque à ſolutione decimarum, aliorumq́ iurium*, Archiepiſcopo & Capitulo *ratione iuriſdictionis, ſubiectionis, & legis Diœceſanæ & Metropolitæ debitorum*. Firmat deinde *Cathedralem* Eccleſiam, & quidquid hanc tangit. ac è veteri & *Sedi Apoſtolicæ* conſuetâ formulâ, Antuerpienſe oppidum in ciuitatem erigit: Eccleſiamq́. *B. Virginis Collegiatam* in *Cathedralem*. Pōtificia verba ſunt: *In Cathedralem, conſilio & poteſtate & auctoritate & tenore præmiſſis, erigimus.* ac in eâ Epiſcopalem dignitatem, cum ſede Epiſcopali *aliiſq́; Cathedralium Eccleſiarum inſignijs, honoribuſq́; & priuilegijs, quibus ceteræ Cathedrales Eccleſiæ de iure vel conſuetudine vtuntur, vel vti poterunt, ſimiliter erigimus, & inſtituimus*. Antuerpienſi demum in Cathedralem erectæ, aſſignat *territorium ſeptem oppidorū cum pagis interiacētibus* (qui ſunt ad CXLIV.

quos

quos in iconiſmo huius Diœceſeos hîc inſerto videre eſt) *longitudinis quinquaginta ſex, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium.* Hæc Pontifex. Habuit verò Eccleſia Epiſcopos, *I. Philippum Nigrium*, de quo poſſum illud;

Oſtendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Eſſe ſinent.

II. Franciſcum Sonnium, qui è Siluæducenſi ſede ad hanc venit anno M. D. LXX. deceſſit anno M.D.LXXVI. *III. Læuinum Torrentium* ex Archidiacono & generali Vicario Leodienſis Eccleſiæ, anno M. D. LXXXVII. abiit ad meliora M.D.XCV. de quo liceat illud Maronis: non hæc

Vllo ſe tantùm tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides, inuictaq́ virtus,

duris aſperiſque infracta rebus! *IV. Guilielmum de Bergis* ex Decano Leodienſi, & primâ nobilitate Belgicâ, anno M. D. XCVIII. abeuntem ad Cameracenſem Archiepiſcopatum anno M.DCI. luximus; mortuum etiam magis, anno M. DCIX:

—— *manibus date lilia plenis;*
Purpureos ſpargam flores,

vt momumentum

His ſaltem accumulem donis, & fungar inani,

amico tamen & obſequioſo munere. *V. Ioannem Miræum* anno M. DCIV. ſeruet hunc vrbi DEVS. Surrexit ſub hoc Seminarium Diœceſanum, magnorum ſucceſſuum grande initium; quo illi no-

mine pij omnes debent gratiam, locupletes operam, reliqui votum è meliore vitâ.


Sunt extra ſummam ædem *Paræciæ* quattuor. in quibus nihil admodum habeo quod lectorem mereatur, niſi quis ea volet, quæ è veteri membranâ: dabo.


S. GEORGII. *Nos Decanus & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ* B. MARIÆ *Antuerpienſis, ad ſupplicationem & inſtantiam Burgimagiſtrorum & Legiſlatorum, nec non communitatis oppidi Antuerpienſis, & aliis certis ex cauſſis & reſpectibus moti, conceſſimus, quantum in nobis eſt, & de iure poſſumus, quòd in Eccleſiâ Parochiali* S. GEORGII *dicti oppidi, quæ etiam filia ipſius Eccleſiæ* B. MARIÆ *exiſtit, erigatur fons baptiſmalis pro infantibus ipſius parochiæ* S. GEORGII *baptiſandis. anno* M.CCCC.LXXVII. XV. *Maij, Pontificatus Sixti VI. anno* VI.

Fuiſſe ante hanc conceſſionem Parœciam, conceſſionis verba docent: quin & fama eſt vetuſtiſſimum vbi templũ eſſe, ſed fama tantùm. quot ante conceſſionem annis, quis dabit? Reperio tamen in Manuſ. codice anno M.CCCIV. altare ibi DD. Petro & Paulo ſacratum, additumque cœmeteriũ, monumentum nimirum victoriæ diei illius ab Antuerpienſiũ Marchione à Flandris relatæ: ſed & in veteri chartâ, anno M. CCI. fuiſſe hanc Eccleſiam nõ ignobilis eâ ętate pagi. Ego nihil affirmauerim.

S. VVAL-

Digitized by Google


ORIENS
Ed
Out Turnhout
Loon opt ſant
Gierle
Sprang
Beſoyen
Ryle
Poppel
Weelde
Rauels
Turnhout
Capelle
Dierien
Waeſbeeck
Alſen
Dungen flu.
Gilſen
Baerle
Sgrauen moer
Dungen
Ramsdonck
Marxblais
Chaem
Hauel
Oosterhout
Cartusers
Wortel
Ten houte
Ginneken
Meerl
S. GEERTRUYEN BERG.
BREDA
Teteringen
Rycke v
Hoochſt
Nieu clooſter
Galder
Merſel
Minder hout
Meera
Drummelen
Merck flu.
Meede
Ter heyden
Hage
Rieſbergen
Groot Sundert
Swaluwe
Loenhout
Moerdyck
Cleyn Sundert
Etten
SEPTENTRIO
SEVEN BERGEN
Ter leur
Sprudel
Woeſt weſel
S. Marten polder
Weſt
Hoeue
Nieumoer
DEN CLYNDER
Tsant daer buyten
Ruckveen
Achterb
Ouden bos
WILLEM STADT
Nieu Gastel
Gaſtel
Calmpthout
Stryen
Pu
Niſpen
Finart
DE BLAECK
Roosendael
PRINCEN LANDT
Huybergen
Oelkens plaet
Woude
Oſſendrecht
Cruyslant
Hoogerheyde
Haerle
Woensdrecht
VOORN
Hildernıſſe
Emaus
BERGEN OP ZOOM
Halteren
Borchvliet
STEENBERGEN
Batsen toren
Stadt
S. Quiryn
Polder
Oude tonge
TER TOLEN
OCCIDENS


DIŒCESIS
EPISCOPATVS
ANTVERPIENSIS
FLANDRIÆ
PARS.
Scala miliarium Brabant.
Corſendonck
De cleyn Nethe flu.
De groote Nethe flu.
Samel
Tieſtelt
Rillaer
Weſterloo
Tongerloo
Tielen
Kaſtel
Ouel
Herſselt
AERSCHOT
Groote hout
Oelen
Zoerle
Lichtart
Gierle
Noorderwyc
Meerbeeck
Lille
HERENTALS
Morchouen
Demer flu.
Beerſe
Poerle
Hulſhout
Balem
Throon
Boeſch
Wechelerſant
Herenthout
Heyſt
Vlimmen
Vorſelaer
Bouwel
Itegem
Werchten
Grobbendonc
Pulde
Ouwen
Nylen
Geſtel
Ooſtmal
Berſel
Vierſel
Haecht
Pulderbos
Molle
Ballar
Lenart
Suerſel
Keſſel
Hoick
Putte
Riemenam
Santhouen
Maſſehouen
Weſtmal
Emmelen
Naſaret
Brecht
Halle
Anderſtadt
Schille
Broechem
LIERE
S. Catelinen Wauere
Oelegem
Ranſt
Vremde
Op de locht
Int goor
Millegum
Muſen
Sgreuen weſel
Bochoute
Duffel
Wommelgem
Walem
MECHELEN
Wynegem
Emmerstel
Waerloos
Braxſchaten
Borſbeeck
Houe
Schooten
Duerne
S. Willeboorts Conterey
Mortsel
Contick
Rumpst
Capelle
Horſt
Eygem
Reet
Leeſt
Merxem
Luythagen
Artſelaer
Ekeren
Berchem
De Bruſſelſche vaert
ANTWERPEN
Wilryck
Kiel
Boom
Willebroeck
Hoeuen
Hoboken
Heminſen
Niele
Wilmerdonc
Oisterweel
Tveer
Stabroeck
Oorderen
S. Philip
Borcht
Schelde flu.
S. Bernart
Scelle
Eyck
Ordam
S. Maria
Tollhuys
De Perel
Rupelmonde
Lillo
Liefkens hoeck
Den Doel

Digitized by Google

S. WALBVRGIS proxima priori Eccleſia eſt: teſtatur id conſtitutio Sixti IV. anno VII. & conceſſionis verba. S. VVALBVRGIS.

Nos Decanus & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ B. MARIÆ *oppidi Antuerpienſis, Cameracenſis Diœceſis, ad ſupplicationem & inſtantiam Burgimagiſtrorum, & Legiſlatorum, & communitatis incolarum, Parochiæ caſtri oppidi prædicti, aliiſq; certis cauſis & reſpectibus moti, conſentimus, quantum in nobis eſt & de iure poſſumus, quod in Parochiâ Eccleſiæ* S. WALBVRGIS *caſtri dicti oppidi, quæ filia ipſius Eccleſiæ* B. MARIÆ *exiſtit, erigatur fons baptiſmalis pro infantibus Parochiæ dictæ Eccleſiæ Caſtri baptizandis; quódque conſtituatur ibi cœmeterium pro funeribus ipſius Parochiæ ſepeliendis, niſi alibi ſuam elegerint ſepulturam. Actum anno* M.CCCCLXXVIII. I. *Martij.*

Fuiſſe D. VVALBVRGIS Eccleſiam Parochialem, ante hanc conceſſionem, clarè docent Pontificia Sixtina verba, quæ habes in ipsâ inſtitutionis formulâ, vbi dicit ſolitos in hac Eccleſiâ, qui illi præeſſent, *Nubentium benedictionem impendere, Pœnitētia & Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare*: additq; *fuiſſe admodum graue & damnoſum, pro Baptiſmatis & extremæ Vnctionis Sacramentis, ad matricem Eccleſiam recurrere, & ad illam decedentium pro tempore eorum corpora tumulanda deferre.* Erat proinde ante Pontificiam hanc inſtitutionem, Decaniq. & Capituli conceſſionem, Parochiæ

rochia: ſed quæ careret *Baptiſmatis & extremæ Vnctionis Sacramentis*, & cœmeterio. quæ hoc demum anno conceſſa, conceſſionis verba docent. Quot verò antè luſtris aut ſæculis Parochia fuerit, incertum mihi. Hoc certum, in Burgo templum fuiſſe Arcis areæ ſuperſtructum. Nec dubitare hac de re quiſquam poteſt, qui teſtamentum *D. VVillibrordi* legerit, & in illo hæc verba: *Rhotingus mihi condonauit, vel tradidit Eccleſiam aliquam, quæ eſt conſtructa in Antuerpo caſtello, ſuper fluuio Schaldæ, in pago Renenſium, cum appendiciis ſuis, villis*, &c. Erat ergo iam Eccleſia *VVillibrordi* tempore ante annum DCCXXXVI. quo ad meliora *VVillibrordum* diſceſſiſſe hiſtoriæ tradunt. Aliquis hîc Eccleſiam hâc gentilitium arbitretur fanum, at erat *Rhotingus* Chriſtianus, & Eccleſiam tradidit, *cum appendiciis ſuis, villis*, teſtamento expreſſis, qui ferè mos Chriſtianorum. & vt fuerit gentilitium, vt primùm tamen ad *VVillibrordum* venit, quis non credat pulsâ gentilitate ad nos tranſiſſe? *VVillibrordum* cogitate, & in hoc animum, calorem, zelum, fidei propagandæ robur & ſtudium, inuictúmque aduerſis pectus.

S. Iacobi. S. IACOBI Eccleſiam æui propinquioris fuiſſe nihil addubitem. quo verò anno exſtructa, incertum. quo in Parochiam erecta, inſtitutio Sixti IV. & Conceſſio Decani & Capituli tradit.

Con-

Conſentientes quantum in nobis eſt, & de iure poſſumus, quòd huiuſmodi capella S. IACOBI, *quæ infra limites ipſius Eccleſiæ noſtræ Beatæ* MARIÆ, *quæ etiam Parochialis & matrix Eccleſia eſt, conſiſtit, in Parochialem Eccleſiam aliàs tamen canonicè præhabentem ad hoc poteſtatem cum inſigniis Parochialibus, vt puta fonte Baptiſmali, extremâ Vnctione, & ceteris Sacramentalibus iuxta confinia per nos & præfatos ſupplicantes conſignata & concordata erigatur. anno* MCCCCLXXVII. III. *Iulij Sixti IV. anno* VII.

S. ANDREAE recentior eſt: docent id Conſtitutionis Adriani VI. & Conceſſionis Decani & Capituli verba. S. ANDREÆ.

Decanus & Capitulum Eccleſiæ B. MARIAE *Antuerpienſis, cupientes diuini cultus augmentum, & votis & deſideriis Illuſt*[mæ] *Dominæ Margaritæ Auſtriacæ, necnon ciuium & incolarum oppidi Antuerpienſis, ſatisfacere; conſenſerunt quantum in ipſis fuit, erigi nouam Eccleſiam Parochialem ſub inuocatione S. Andreæ, die* XXIX. *Maij, anno* M. D. XXIX.

Habes in eadem Conceſſione, fontem Baptiſmalem & cœmeteriũ. Ante tamen Conceſſionis huius diem, Eccleſiam hîc reperio, cùm è Saxoniâ Auguſtiniani anno M.D.XIIII. in vrbem hanc venerunt. ante horum aduentum tenebræ mihi.

Hæ quinque vrbe totâ Parœciæ. antè vna D. Matris in ſolidum, & numeris ſuis omnibus

M m abſo-

abſoluta Parœcia fuiſſe videtur. ſtetitque ad annum MCCCCLXXI. cùm frequentior grandiorque populus, ac in tredecim regiones, quas *VVijcken* vulgò appellant, ritè diſcriminatus, Parochum vnum onere leuare ſuaſit, addereque priori quattuor. Sed & principem Eccleſiam in duos Parochos diſpertiri placuit: vt non quinque, ſed ſex cenſeri debeant. Poſſent deſignari plures, & ſtaret ſingulis ſuus labor: nunc plurima familiarum millia vnum agnorunt: exſurgat qui faciat.

CAPVT XI.

Virorum Cœnobia, aut loca Religioſa.

LVSTRABO ſingula, & ſi quid occurrat litteris aut famâ notum, non omittam.

PRÆMONSRATENSES, tempore inter Religioſos primi, duce D. NORTBERTO ſub annum MCXXIIII. in hanc vrbem venerunt. Celebre illâ ætate NORTBERTI per Germaniam orbemque vniuerſum nomen. qui Adamiticam Tanchelini hæreſim, per vicina vrbi loca ſæuientem, validè repreſſit, veſanis impudentiæ illius ardoribus reſtinctis. ob quam rem, benè, & è voto Antuerpienſium peractam, areâ, domo, temploque donatus. liquidò hoc litteræ docent.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Hil-

Hildolphus Præpoſitus S. Michaëlis in Antuerpiâ, tam futuris quàm præſentibus in perpetuum. Qualiter præfata Eccleſia noſtra ad vſus Canonicorum Præmonſtratenſis Ordinis trãſierit, & quâ de cauſsâ aſſenſus Capituli noſtri eis datus fuerit, præſentis ſcripti atteſtatione notificamus. Cùm in diebus noſtris quidam hæreticus Tanchelinus nomine in partibus noſtris aduenisſet, & venenoſo ſermone à fide & à Sacramentis Eccleſiæ plurimos auertiſſet; hac de cauſsâ vt illa hæreſis, quæ prouinciam noſtram occupauerat, funditus extingueretur, conſilio Domini Burchardi Epiſcopi, & totius populi, & aſſenſu Capituli noſtri, Dominum Nortbertum, virum noſtris temporibus ſpectabilis religionis, accerſiri curauimus; eiq; ac ſuis Fratribus Regulam beati Auguſtini ſeruantibus, ſuamq; inſtitutionem exſequentibus, ſupradictam Eccleſiam cum capellis in eius cœmeterio fundatis, & tribus curtilibus & iugero terræ eidem cœmeterio adiacentibus, cum quattuor præbendis, per manus memorati Epiſcopi tradidimus; circumſpectione vigiles, dignéque perpendentes, quòd eorum ſaginaremur orationibus, & bonis ſpiritualibus, ſi eos ſuſtentaremus beneficijs temporalibus. Nos verò priùs numero duodecim, numerum noſtrum in octo terminauimus præbendis, & cum his & Præpoſituræ noſtræ integritatem in Eccleſiam beatæ Mariæ tranſtulimus. Cæteras verò quattuor præbendas, per omnia eis conſimiliter participantes, proprio noſtro arbitrio dedimus. Excepto quòd

allodia & mancipia, quæ vſque ad hæc tempora Eccleſia illa poſſederat, in noſtros ſingulariter vſus ſegregauimus. Baptiſmus verò celeberrimi temporis, videlicet Paſcha & Pentecoſtes, in Eccleſiâ illâ obſeruabitur; reliquo autem tempore Parochianus noſter baptizandis prouidebit. Infirmos autem viſitare & communicare, oleoq́ inungere, confeſſiones audire, mortuos ſepelire, omnibus hæc ab eis quærentibus liberè conceſſimus. Vt autem tam præclara beneficentiæ fœdus inuiolatum, & inter nos & ipſos ſemper permaneat, hoc definitum eſt, vt quodcumque munus, infirmus, & moriens parochianus, ſiue in terrâ, ſiue in aliâ ſubſtantiâ cuiuis Eccleſiæ aliquid obtulerit, aut pro ſe offerri inſtituerit, per medium diuidatur. Quod verò alienus ſanus aut infirmus, aut parochianus incolumis dederit, Eccleſia, cui hoc datum fuerit, abſque partitione poßideat. Ipſæ verò Eccleſiæ ſedulâ omnium exactione inuicem iuges ſibi debebunt fraternæ charitatis orationes, in omnibus neceßitatibus ſeſe ſupportantes. Pro commemoratione verò ſuæ libertatis vtraque Eccleſia perſoluet Cameracenſi Præſuli aureum nummum Antuerpienſis monetæ & ponderis, ſingulis annis in feſto S. Lucæ. Vt autem hæc rata & inconuulſa permaneant, ſigilli noſtri impreßione, & teſtium ſubſcriptione, qui interfuerint, & hoc donum dederint, annotari curauimus. Ego Hildolphus Præpoſitus S. Mariæ, Anſelmus Canonicus, Bernardus Canonicus, Giſelbertus Porcus, Raduardus Canonicus, Ouo Canonicus, Ra-

Raduardus ſcriptor, Ragerus Canonicus, Hildeuuinus Parochianus. Actum autem eſt hoc anno Verbi incarnati MCXXIV. *Indictione ſecundâ, Epactâ tertiâ.*

Dos ergo prima debetur Canonicis anno M.CXXIIII. altera Duci anno MCCXI. Senatus etiam non pauca contulit.

Sepulta in hoc templo anno MCCCCLXV. *Iſabella Borbonia Caroli Pugnacis* vxor, vbi ante gradus principis altaris mauſoleum habet.

DOMINICANI à Senatu populoque in hãc vrbem Argẽtinâ euocati. Dabo euocatorias litteras, veterem ac nonniſi Antuerpienſem pietatem ſpirãtes.

Religioſis viris & diſcretis, honorandis, Priori Prouinciali Fratrum Prædicatorum Teutoniæ, & Fratribus diffinitoribus Capituli Prouincialis apud Argentinam, Scabini & communitas Antuerpienſis, Cameracenſis Diœceſis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Quamuis mundanis pulueribus obfuſcati comparatione felicitatis ſpiritualis multarum Ciuitatum, quibus in populo & aliis tẽporalibus termini noſtri ſuperabundant; noſtram neceſſitatem vobis inuitamur exponere. Cùm itaque ſecundùm præſentem ſtatum, miniſterium veſtrum ſancta Dei Eccleſia comprobetur perneceſſarium, & nos hucuſque conſolatione veſtrâ (quod cum dolore proferre poſſumus) caruerimus, niſi in quantum B. Fratres veſtri domus Louanienſis, vel alij remotiores nos duxerint

 viſi-

viſitare, omni deuotionis affectu veſtram propulſantes exoramus charitatem, quatenus nobis & noſtris compatiamini, & collegium Fratrum veſtrorum Antuerpiam deſtinari faciatis. Hos enim ipſos affectu ſincero, & dilectione ſtabili pertractare compromittimus: firmam tenentes fiduciam, quòd, cùm Dominus benedixerit domui Ægypti propter introitum Ioſeph, & domui Laban propter Iacob, benedictionis diuinæ munus ad introitum eorumdem conſequemur. Datum in Inuentione S. Stephani, anno MCCXLIII.

Hæc Antuerpienſes. ſunt in eamdem ſententiam Brabantiæ Ducis & Cameracenſis Archiepiſcopi. quæ quia longum recenſere, prioribus inſiſto. Deſignata aduentantibus à Senatu domus, areaque perampla: & retinet hodieque vicus nomen, vulgò *Preeck-heer ſtraet*. Tranſierunt poſt hæc, veteri relictâ domo, in eam quam etiamnum inhabitant, liberalitate *Henrici III.* Brabantiæ & Lotharingiæ Ducis, anno MCCLVI. vbi etiam templum ædificarunt. Fama tenet *Albertum Magnum* Ratisbonẽſem Epiſcopum anno MCCLXXI. ſacraſſe. cuius cùm anguſtiis excluderetur populus, placuit priore euerſo, aliud à fundamento auguſtius, in eam quam videmus molem erigere, anno MDXLVII. audaci per omnia, raro, viſendoque opere. Habes in hac æde, prioris, in campanâ, monumentum, hac inſcriptione:

Tẽporibus clango certis, & funera plãgo. anno 1253.

PRIO-

PRIORATVS S. SALVATORIS, Ciſtercienſis Ordinis, vulgò *Petri Potz*; munificentiâ *Petri Potz*, patricij Antuerpienſis, coniugiſque illius *Mariæ Terrebrots*, exſtrui cœptus anno MCCCXXXIII. & ad optatum aliquando finem eorumdem benignitate anno MCCCCXLVII. deductus, annuoque cenſu, qui duodecim religioſis alendis ſatis eſſet, dotatus.

FRANCISCANI cœperũt anno MCCCCLXVII. locum Senatus dedit. donationem Philippus Brabantiæ Dux diplomate probauit.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ; Comes Flandriæ, Artheſij, Burgundiæ, Palatinatus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Namurci, Marchioq; ſacri Imperij, Dominus Friſiæ, de Salinis ac de Mechliniâ. Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Cùm inter alios Fratrum ordines Regulares, quos per diuerſos Patres pro perfectione vel eminentiâ vitæ Chriſtianæ ab exordio militantis Eccleſiæ introductos eſſe conſpicimus, ſacro Apoſtolico ordini ab eximiæ ſanctitatis Patre beato Frãciſco diuinâ inſpiratione, vt piè credimus, Fratribus ac diſcipulis ſuis tradito (quo præditi, tamquam abiectis auro & argento, & reliquis omnibus auaritiæ & cupiditatis huius mundi illecebris, quibus qui tamquam Mammonæ inſeruiunt, Deum odio habere coguntur,*

guntur, ab earumdem illecebrarum imperiis in ſanctam libertatem euaſi velut paratiſſima & expeditiſſima mancipia, ſpretis omnibus ſoli Deo poterunt adhærere) tamquam Ordini acceptiſſimo Deo, & pro dilatatione & ampliatione ſanctitatis militantis Eccleſiæ ſpecialiſſimam in animo noſtro commendationis ſedem parauerimus; perindéque eos quos videmus ſe ex corde non ficto ad eiuſdem Ordinis ſtrictam obſeruantiam mancipare, magnâ & indefeſſâ cogimur charitate complecti; & libenter ea quæ ad fomentum & incrementum eiuſdem obſeruantiæ operari poſſe conſpicimus, omni ſollicitudine promouere; offendiculaq́ & aduerſus proſperum ſucceſſum eiuſdem obſeruantiæ militantia, quantũ in nobis eſt, longiùs relegare. Sanè cũ didicerimus nouiter dilectos & fideles noſtros Burgimagiſtros, Scabinos & Conſules oppidi noſtri Antuerpienſis, ad prædicti ſacri Ordinis obſeruantiam promouendam charitate accenſos, Fratribus eiuſdem Ordinis quos viderũt ad illibatam, quantum humana infirmitas diuino afflante adiutorio cõceſſit, ſe velle in eadem Ordinis obſeruantiâ, abſque voluntariâ & irrationabili diſpenſatione, vnanimiter cõtinere, commodaſſe certam quantitatem terræ in loco qui nunc communi nomine Mons omniũ Sanctorum vocatur; ſuper quã quibuſdam viris deuotis hoc procurantibus, & alijs manum charitatis & deuotæ liberalitatis ad hoc porrigentibus, ædificium ſatis conueniens tam pro diuino ſeruitio quàm pro receptatione dictorum Fra-

Fratrum erigere & fabricare inceperint: ne tam ſancto propoſito & initio deeſſet auctoritas Principalis, placuit id quod ex deuotionibus ſubditorum ſic eſt inceptum, auctoritate noſtrâ omni modo, tamquam ab initio manum appoſuiſſemus, ratum & gratum habere; & perinde noſipſos tenore præſentium eiuſdem monaſterij declarare & conſtituere Archifundatores. Idq́ ex nunc fundatum eſſe, & inanteà ad reuerentiam & honorem Dei, & Beati Andreæ Apoſtoli, & Patroni noſtri per nos ſpeciali deuotione electi, nec non dicti veſtri Patris Franciſci vitæ Apoſtolicæ ſectatoris, complendum & perficiendum; & ſub eorumdem Patronorum, & præcipuè dicti B. Andreæ Apoſtoli titulo perpetuis futuris temporibus recolendum. Rogantes inſtantiùs Reuerendum in Chriſto Patrem Dominum Cameracenſem Epiſcopum, quatenus Eccleſiam ipſam & altare maius, & alia principalia ædificia, quæ cōſecrari conuenit, ad honorem dictorum Patronorum, & præcipuè B. Andreæ Apoſtoli, necnon minora altaria, & eius alia loca partialia per Dei gratiam & deuotorum hominum charitatem perficienda, ipſiſq́ accommodata & commodanda quæ congruum fuerit dedicare ad honorem Dei & aliorum Sanctorum, iuxta deuotionem eorum qui eleemoſynas ſuas ad hoc contulerint, per ſe dedicare velit & conſecrare, aut per alium dedicari ordinet & conſecrari. Placuit nobis inſuper ex nunc Fratres omnes & ſingulos, qui in dicto monaſterio poſt conſecrationem

Nn hu-

huiuſmodi iuxta dictam Regulæ obſeruantiam, ſunt ſanctam & religioſam vitam acturi, in noſtrâ protectione & ſaluigardiâ ſpeciali recipere, promittentes pro nobis & heredibus noſtris, eos & eorum quemlibet quamdiu in Ordinis obſeruantiâ perſeuerauerint, quantum in nobis eſt, tueri & defendere, aduerſus omnes qui eoſdem nunc vel inanter quibuſlibet perſecutionibus vel iniuriis turbare ſategerint, vel moleſtare. Sub pœnâ indignationis noſtræ, & vltionis conſonæ rationi, ſecundùm menſuram & qualitatem delicti, omnibus ſubditis noſtris cuiuſcumque ſtatus aut conditionis extiterint, diſtrictiùs inhibentes, ne dictis Fratribus quamcumque moleſtiam aut iniuriam, verbis aut factis, quomodolibet inferre aut irrogare præſumant. Præcipuè antedictis Burgimagiſtris, Scabinis, & Conſulibus, necnon receptoribus principalibus, & aliis quibuſlibet eiuſdem villæ obuetiones recipientibus, aut recepturis diſtrictiùs inhibentes, ne de eſculentis & poculentis quæ paucis diebus conſumuntur, & quæ eiſdem Fratribus à deuotis & fidelibus ob amorem Dei in puram eleemoſynam conferentur, præſumant auſu temerario, quidquam Gabellæ, Impoſitionis, Talliæ, Maletotæ vel Aſſiſiæ titulo exigere, petere, capere, vel extorquere; ſed potiùs obmittant penitus aurum & argentum exigere ab eis qui nec id habent, nec in communi, nec in priuato licitum eſt habere. Et prætereà mandantes & præcipientes omnibus officialibus noſtris præſentibus, atque futuris, quatenus eoſdem ab omni iniu-

iniuriâ, moleſtiâ & perſecutione tamquam præcipuè Dei famulos tueantur atque defendant, aduerſus omnes qui ipſis huiuſmodi iniurias, moleſtias, aut perſecutiones inferre molientur. quóſque, ſi qui fuerint, tamquam hoſtes & aduerſarios ſeruorum Dei, meritis pœnis & vltionibus, omni diſsimulatione poſtpoſitâ, curent afficere. nec in hoc vnus alium præſtolari, nec etiam à nobis aliud exſpectare mandatum; quoniam ita ob ſingularem deuotionem, quam habemus ad veram & illibatam dicti Ordinis regulam, & odium tranſgreſsionis eiuſdem, necnon ad reuerentiam & honorem Dei, Beatorumq; Andreæ Apoſtoli & Patris Franciſci Apoſtolicæ vitæ præcipui ſectatoris, placet, ex certâ noſtrâ ſcientiâ & auctoritate principali ſine contradictione fieri volumus cum effectu.

CARMELITÆ anno MCCCCLXXXV. locum ædificando delegerunt; fauentibus impensè Maximiliano Romanorum Rege, & Philippo Brabantiæ Duce. Docent hoc Pontificiæ litteræ.

INNOCENTIVS SERVVS SERVORVM DEI, *dilecto filio nobili viro Maximiliano Archiduci Auſtriæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis affectus, & probata fidei conſtantia, quibus in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu clarere dignoſceris, non indignè merentur, vt votis tuis illis præſertim quæ diuini cultus augmentũ, ac animarum ſalutem, ac Religionis propagationem ſpectant, quãtum cum Deo*

poſſumus, fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte tuâ nobis nuper exhibita petitio continebat: Quòd tu qui oppidum Antuerpienſe Cameracenſis Diœceſis, tuo temporali dominio ſubiectũ, & illius incolas ſpeciali dilectione proſequeris, & cupis nõ ſolùm proſpero & felici regimini ipſorum in iis quæ ad tuum temporale dominium huiuſmodi pertinent prouidere, ſed etiam quantum in te eſt, pro ſalute animarum earumdem te vtiliter & ſalubriter exercere, non demeritò ſperans, quòd ſi Profeſſores Ordinis glorioſiſſimæ Dei genitricis ſemperq́ue Virginis MARIÆ *de monte Carmeli haberent in dicto oppido aliquam domum, pro vnius Prioris & aliquorum Fratrum dicti Ordinis vſu & habitatione, incolæ præfati, qui ad Ordinem ipſum & illius Profeſſores ſingularem gerunt deuotionis affectum, ex Prioris & Fratrum pro tempore in dictâ domo degentium exemplari vitâ, ac diuinorum deuotâ & aſſiduâ celebratione, prædicationibus verbi Dei, audientiâ confeſſionum, & exhortationibus ad benè & laudabiliter viuendum, vberiores fructus pro ſuarum ſalute animarum in dies reportarent, ac meritis & interceſſione eiuſdem Virginis* MARIÆ *conſequerentur præmia felicitatis æternæ; ſummopere deſiderans de bonis tibi à Deo collàtis vnam domum pro vſu & habitatione Fratrum prædictorum in eodem oppido conſtrui & ædificari facere, ſi tibi ad id eiuſdem Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tuâ nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt tibi in dicto oppido in aliquo loco ad*

ad id conuenienti & honeſto, domum prædictam cum Eccleſiâ, campanili humili, campanâ, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac dilectis filiis Generali dicti Ordinis, necnon Prouinciali Prouinciæ Allemaniæ Inferioris in quâ ipſum oppidum conſiſtit, Prioribus quoque & Fratribus Ordinis eiuſdem illam pro eorum vſu & habitatione recipiendi, & perpetuò inhabitandi licentiam concedere, aliáſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur qui diuini cultus augmentum, & Religionis propagationem, animarúmque ſalutem ſupremis deſideramus affectibus, tuum in hac parte pium & laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi domum prædictam in aliquo loco dicti oppidi ad hoc conuenienti & honeſto, cum Eccleſiâ, campanili humili, campanâ, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuo vſu & habitatione Fratrum prædictorum, Ordinarij loci licētiâ petitâ, licet forſan non obtentâ, ſine tamen alicuius præiudicio, conſtrui & ædificari faciendi, ac Generali necnon Prouinciali, Prioribus, & Fratribus prædictis illam recipiendi, & perpetuò inhabitandi, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, licentiam elargimur. Iure tamen Parochialis, & Beatæ MARIÆ *Eccleſiarum oppidi prædicti, & cuiuſlibet alterius ſemper ſaluo in*

UNIVERSIDAD ... BIBLIOTECA

omnibus. Nos enim dicta domui, poſtquam ſic conſtructa fuerit vt præfertur, ac Prioribus & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, vt omnibus & ſingulis priuilegiis, fauoribus, conceßionibus, & indultis quibus alia domus Fratrum dicti Ordinis & illarum Priores & Fratres in genere potiuntur, & gaudent, ac vti & potiri ac gaudere poterant, quomodolibet in futurum vti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate præfatâ, earumdem tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibente ne Ordinis Mendicantium Profeſſores nouas domos ad inhabitandum recipere præſumant, abſque Sedis prædictæ licentiâ ſpeciali, de prohibitione huiuſmodi plenam & expreſſam mentionem faciente, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quauis firmitate aliâ roboratis, ceteriſq; in contrarium facientibus vel obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo liceat omnino hãc paginam noſtræ elargitionis & conceßionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum eius Petri ac Paulli nouerit ſe incurſurum. Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimoquinto, XI. Kal. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Cœno-

Cœnobium auguſtum eſt, ſtructura firma, chorus templi altus & illuſtris; & ſuperioribus his annis adiecta ingenti auſu, felici ſucceſſu, non modica pars. Sunt qui velint Carmelitas vrbem ingreſſos anno MCCCCV. priuatis tamen ædibus ſe continuiſſe in annum MCCCCLXXXV.

BOGARDI texendo vitam tolerabant. hos primùm vrbem ingreſſos reperio anno MCCXXVIII. auſpiciis D. Beggæ, Pipini primi, Brabantiæ Ducis, filiæ, ſororis D. Gertrudis. ac primò, nullis certis legibus, ſolo caritatis vinculo annis LXII. modeſtè ſe continuerunt. anno deinde MCCXC. tertiam D. Franciſci Regulam profeſſi, Fratrum de pœnitentiâ nomen ſortiti, magnis à Brabantiæ Ducibus Ioanne II. & III. exactionum temporalium, & à variis Pontificibus, Ioanne XXII. Clemente V. Vrbano V. ſpiritualibus prærogatiuis donati. locum tandem habitationi, priore commodiorem, anno MCCCXLVI. ære ſuo pararunt, inſigniq́ue poſteà acceſſione, priuatâ induſtriâ, locupletarunt, anno MCCCCLV. cumq́ue in eam diem texendo vitam ſinguli toleraſſent, prudenti conſilio, reliquam Religioſorum conſuetudinem imitati, in communi viuere cœperũt anno MCCCCLV. quin & monaſticã profeſſos reperio anno MCCCCLXVIII. eoq́ue res proceſſit, vt textrinâ relictâ ſolis diuinis vacarent.

AVGV-

AVGVSTINIANI olim fuerunt, & venerāt in hanc vrbem anno MDXIIII. Congregationis Saxonicæ, non poſtremi famâ, numero; ceſſit deinde anno MDXXIX. non ignobile templum locúſque parœciæ S. Andreæ, permanetque in hanc diem. Anno demum MDCVII. eiuſdem inſtituti, ex normâ nimirum D. Auguſtini, nullo tamen cum prioribus fraternitatis aut capitis nexu, domum à Senatu impetrarunt.

ALEXIANI. tenue principium. ſparſi primùm habitarunt, anno MCCC. aucti pòſt numero & opibus, collecti in vnum, propiorem religioni vitam duxerunt. Principium illis ab Henrico Suijdermanno Germano, qui anno MCCCXLV. fundum & domum dedit, ac tandem D. Auguſtini Regulam ſecuti, ſacratiori ſe religionis voto ligarunt anno MCCCCLXI. demum domum ſtruxerunt inſigni opere, priore longè auguſtiorem, anno MDXLVI.

CAPPVCINI vltimi in hanc vrbem è Galliâ venerunt anno MDLXXXV. hortatu Alexandri Farneſij, Parmæ ac Placentiæ Ducis. Redierunt paullò pòſt ad ſuos; rurſusque eiuſdem Principis euocatione in Belgium, inde Antuerpiam, anno MDLXXXVII. acceptiq. perhumaniter à Reuerendiſſimo Antuerpienſium Epiſcopo Læuino Torrentio, Senatu, Populoque, cœnobium Catholici Regis munificentiſſimis impendiis ſtruxerunt.

reli-

reliqua priuatorum benignitas adiecit, quâ vnâ viuunt, extremam paupertatem profeſſi.

PATRES SOCIETATIS IESV anno MDLXII. vrbem ingreſſi, firmandi aliquando domicilij initia poſuerunt. & primùm duo fuerunt, plures exinde acceſſerunt; cùm impares oneri, pauci illi laboribus ſuccumberent. anno demum MDLXXIV. paucorum, ac in primis D. Frias Hiſpani, liberalitate, empta domus, templumq. non totis menſibus ſex exſtructum. Iuuentus deinde anno MDLXXV. moribus ac bonis litteris inſtitui cœpta: triennium ea inſtitutio ſtetit: ſucceſſerunt turbæ, & ciuilia hæc bella; inter quæ ſæuo iactati turbine, & ingentis naufragij pars non poſtrema, paſſi quòd aſſolent qui enauigarunt tabulâ. Septem annos tenuerunt hi fluctus Belgium, donec poſitis illis, cum ipsâ Republicâ Rempublicam ingreſſi anno MDLXXXV. auſpicatam feliciter olim iuuentutis inſtitutionem, reliquaque Societatis munia, maioribus quàm antè animis, ſecundioribusque ſucceſſibus aggreſſi. Cumque ſcholarum anguſtiis iuuentus excluderetur, præprouidâ munificâque Senatus largitione, auguſta ampláque domus anno MDCVIII. acceſſit. Creuit hîc iuuentus, maximè cùm humanitatis ſtudiis, Theologiæ moralis, Scripturarumque ſacrarum, ac Controuerſiarum prælectiones additæ.

CAPVT XII.

Feminarum Cœnobia aut loca ſacra.

VARII hîc illarum cœtus, rarâ morum integritate. & ſunt *Antuerpienſes* ad ſacrum hoc vitæ genus & caſtimoniam pronæ. nec mœnibus his contentæ, vicina repleuere oppida: & ſicubi ſanctior locus monaſticaque ſeuerior diſciplina, *Antuerpienſes* reperias. Sunt in

HOSPITALI magno, quæ ægrorum curam gerunt. Huius initia obſcura; in peruetuſto membranaceo codice hæc habes: *Anno Domini* MCCXXXVIII. *Calendis Maij, in feſto SS. Philippi & Iacobi tranſlatum eſt Hoſpitale Antuerpienſe ab atrio Beatæ* MARIÆ, *vbi priùs fuerat ædificatum extra oppidum, in campum vbi nunc in honore Beatæ* MARIÆ *Virginis eſt ædificatum*. Creuit variorum opibus. Primus dotauit *Guilielmus Noſe*, agris in Borsbeke anno MCCXXXII. annuente *Henrico* Brabantiæ Duce. Secundus *Ludouicus Berthout*, Mechliniæ Dominus, agris in Mortſele anno MCCLIV. Tertius *Arnoldus de Louanio* Bredæ Dominus, agris in Berendonck, in Micke, in Eeckeren, anno MCCLXXX. Quartus *Héricus vã VVilre* Bergizomij Dominus, agris in Weſele, anno MCCXCV. Sepulturæ ius conceſſum his reperio anno MCCXXXVII.

Sunt

Sunt quæ operam ſuam omnem leproſis impendunt, vulgò TER SIECKEREN. Extra vrbis pomeria primæ fuerunt, anno MCCXXXVI. vrbem demum ingreſſæ anno MDLXXVIII. cùm latè fortuitus ſæuiens ignis priorem locum æquaſſet ſolo.

NONNÆ, è Zuytbeuerlandiæ Monaſterio, ad hanc vrbem, Capituli & Senatus litteris euocatæ, anno MCCLXXIX. domum extra vrbis mœnia ſtruxerunt anno MCCLXXX. nomen huic vallis *S. Margaritæ.* paſſæ deinde anno MDXLII. à *Martino Roſſemio*, ferro & igne, quæ militiæ illius furor permiſerat, tranſierunt in vrbem anno MDXLIV. locumque perexiguum, templumq. à *Petro Tack* Antuerpienſi ciue anno M. D. ædificatum impetrarunt.

ALBÆ SORORES, dicunt ſe anno MCCCXII. huc veniſſe, Ordinis pœnitentium *S. Mariæ Magdalenæ.* de quibus hæc in veteri membranâ: *Cùm Ioannes Brabantiæ Dux viro religioſo Gerardo poteſtatem facit per Belgium eleemoſynas colligendi, in commodum domus ſuæ de nouo in honore S. Crucis fundatæ, vbi opera ſunt caritatis, vtpote de peccatricibus iuſtæ mulieres, ac bonæ, ac Deo deuotæ efficiuntur.* nec ſolis hîc lapſis locus, ſed quòd illis locus quibus alibi negatus.

FACONTINAE. *Falco de Lampage*, ſub an-

num MCCCL. hoſpitale hoc loco inſtituit. à cuius obitu abierunt ad Regium fiſcum, quæcumque viuus poſſederat: etiam hic locus. Emit hunc à Præfecto ærario *Ioannes van VVitham* anno MCCCLIV. & ab hoc aut heredibus, virgines illæ, quæ priorem aliquando ſub *Falcone* locum incoluerant, annuente *Ioanne* Cameracenſi Epiſcopo ſub annum MCCCCXXI. qui etiam loco nomen dedit: **Onſe L. Vrouwen dael in Valckenbroeck**. à quo impetrarunt vt in regulam tranſirent Sanctimonialium *Vallis S. Barbaræ in Theniſmonte.*

TERTIARIAE cœperunt à liberalitate *Henrici Soudermanni* Germani, qui domum emit, dedit, anno MCCCL. Sed non niſi domum. In medio namque magnarum cogitationum, naufragium mari paſſus, periit. perſtiterunt tamen Virgines, priuatâque induſtriâ variorumque eleemoſynis vitam tolerarunt. tertiã *D. Franciſci* regulam profeſſæ anno MCCCCLIV. Pio II. Pontifice Maximo.

NIGRAE SORORES. ſub annum MCCCLXXI. paucæ primùm viduæ in agro Brabantino cœperunt: curam ægris impenderunt, nullum inualetudinis genus auerſatæ. ac nullis aliquãdo legibus, pòſt *D. Auguſtini* regulam profeſſæ, anno MDVI. aſſentiẽte Iulio II. Locum multorum munificentiâ æreque ſuo pararunt anno MDXXI. nomenque loco indiderunt *Montis Caluariæ.*

CLA-

CLARISSAE, *S. Claram* ſecutæ, Ordinis *D. Franciſci*. Inſtituit *Iſabella* Luſitanica, *Philippo* Brabantiæ Duci matrimonio iuncta, ſalutis anno MCCCCLV. abſoluta ſtructura Monaſterij ac templi annis ſex.

D. Auguſtini regulam ſecutæ, quæ in monaſterium *D. Annæ* dicatum, vulgò LVYTHAGEN, extra mœnia olim, nunc intra illa receptæ. Conditor Illuſtris vir *D. de Ranſt* Ciuitatis Marchio, qui Maximiliani exercitus ductor, cùm feliciter contra Flandros die *D. Gregorio* ſacro pugnaſſet, *Anno* 1496. duodecim hîc virginibus locum parauit, annuo cenſu dotauit. nobilis hîc olim locus ſterilitati auertendæ.

ANNVNTIATAE, anno ſuperiore Louanio huc venerunt. prima inſtitutio è Galliâ. diffuſæ dehinc per Belgium, Brugas, Louanium, Betuniam, Niuellas demum & *Antuerpiam* traductæ. & nunc hîc ſunt. priuatorum beneficentiâ, Senatuſque ante omnes, ædes locumque pararunt.

BEGINAS ad ſacratos hos Ordines refero, animo religionem profeſſas, quam & æmulantur, nullo tamen perpetuo arctioris vinculi voto. templũ hisdomosq. extra vrbem exſtrui cœptas inuenio in Sion, anno MCCCCLX: incẽdio poſt hæc, quidquid magnis impendiis ſteterat, abſum-

ptum anno MCCCCXCIV. ac tandem funditus ſacra profanaque euerſa anno MDXLII. ac demum in vrbem traductas.

CAPVT XIII.

Hoſpitalia. Pauperum receptacula.

ALIA ab aliis condita reperio. & prout quemq. pietas aut beneficentia traxit, in varios vſus deſtinata; omnia tamen egenis ſubſidium. Cura horum, Eleemoſynariorum fidei ferè commiſſa, quorum ſeriâ ſollicitudine res adminiſtrantur.

Inde hoogh-ſtraet. S. IVLIANI hoſpitale. falluntur qui ante annos mille ſtetiſſe volunt: exſtructum reperio anno MCCCIII. Peregrinis quaquà venientibus in biduum hîc domus eſt, & benignè habentur. ac ne diuina deſint, adiunctum ſacellum, & in eo diurnum ſacrum. ita corpori & animo largiter proſpectum.

Inde Rop-ſtraet. INFIRMARIA. nomen hoc, loco eſt. nullus auctor inſcribitur. fuiſſe ante annos CCC. fama tenet, & conſtans fama. ſtetit olim in vico *Claddorp*; mutauit deinde ſedem anno MDXLV. Sunt in hac feminæ ſedecim, & horti domuſque legati hoc fine.

Inde Kerckhof-ſtraet. D. VIRGINIS. conditor *Henricus Souderman* Germanus anno MCCCXL. multa huius viri ger-

manæ

manæ in hac Republicâ pietatis veſtigia. duodecim feminis,ætate aut valetudine fractis, domicilium hîc eſt; adiuncta ancilla, quæ ætatem morbóſve leuet.

CÆRVLEI FRATRES. memorant exſtructum anno MCCCLXVI. multorum hîc munificentia claruit. viris duodecim ſenio & inualetudine laborantibus, ancilla in ſubſidium ætati & ægritudini data. Inde Bredeſtraet.

S. ANNAE. auctorem narrant *Balduinum de Riddere* cum vxore *Elizabethâ Hays*; pulchra in coniugibus largitatis æmulatio. imitentur plures. vndecim hîc mulierculis & ſubſidiariæ ancillæ receptaculum cõceſſum anno MCCCCXII. annexum habet ſacellum. Inde Cortenieu ſtraet.

S. IACOBI. æuum huius & auctores vidi lapidi inſculptos. *Nicolaus de Herde, Guilielmus de Molener, Cornelius Lemſens, Iõñes Melus, Ioannes van VVoude, Guilielmus Ottens*, anno MCCCCLIV. collato ære poſteritati ſacrarunt. Quotquot D. Iacobi petunt limina, aut ſoluti voto reduces, hoſpitij hîc iura reperiunt. Magna olim concurſatio parentum æuo, cùm & pietas in Diuos ardorque maior: & aberat hæreſis, ridere & perdere, gelidamque ſuffundere piæ huic flammæ edocta. Inde Keyſerſtraet.

GERARDI BAERT. conditoris nomen præfert. By de Calckbrugge.

fert. ſex viris ætate aut laboribus fractis ſacerdotem vnum præeſſe voluit anno MCCCCLXX.

Op de Faquesrupe. IOANNIS VAN BIEST. auctorem nomen narrat; anno MDIV. mulierculis ſedecim ancillam adiunxit, abeuntis ſolamen ætatis. mille è voto meo Bieſtios è mercatorum cœtu; neq. enim eunt hæ negotiationes omnes ſine rugâ aut maculâ.

Op de Venus-ſtraet. SACELLVM GRATIÆ. rara ſemper maiorum pietas. atque ô lubeat, aut non pudeat ſequi! præiuit *Antonius Ruelli* anno MDV. duodecim viris, ſacerdotem vnum qui ſacris indies operaretur, præfecit. imitare qui potes. nam quis non veſtrûm fenerario puluere ſi non intectus, inſperſus tamen ſuâ aut alterius manu, alienum redolet?

In S. Rochus-ſtraet. PVPILLARIS DOMVS EXPOSITITIIS DICATA. quorum in magno populo, & frequenti viciniâ, magnus numerus, & iam CXXC. numerant. auctores habet Eleemoſynarios vrbis anno MDXXXII. nobile opus, & quod nomen in Principe mereatur. educantur, &, vt primùm per ætatem licet, edocentur, prout cuiuſque ingenium tulerit. additurque lectio & ſcriptio, ne quidquam ad honeſtam educationem vitæque reliquum deſit.

In S. Rochus-ſtraet. FATVA DOMVS. aberrantibus ab homine ſuo, quales in magnâ Republicâ, ingenti viciniâ, numquam deeſſe poſſunt, locus hic ab Eleemoſy-

moſynariis datus.& reſpondet operi fructus.

IN VICINIA S. GEORGII. *Eliſabetha Goudtſ-vlieden*, mortuo marito anno MDXLV. *Ioanne Gottenſys*,pietate, & in pauperes munificentiâ inſignis, ſex mulieribus locum tribuit. Quantæ hîc viduæ ſub opibus tamquam onere fatiſcentes, maiora poſſent? velint. & mentem hanc iniiciat qui poteſt Deus. By S. Ioris kercke

VIRGINVM DOMVS. varium opus, multiplex, nec minùs rarum; & fortunatiſſimi euentus. *Ioannes vander Meeren* anno MDLII. inſtituit. Virgines hîc erudiuntur, quas egeſtas paternâ excluſit domo, aut matrum pudor. quæ vbi adoleuerint, è pupillari in hanc traductæ, quidquid in virgine deſiderari poteſt edocentur. inde ancillatum dimittuntur: aut ſi quam modeſtior adoleſcens ambiat, matrimonio iungitur,dotem à pauperum ærario acceptura. Inde langhe Gasthuys ſtraet.

FEMINARVM DOMVM Eleëmoſynarij anno MDLIV. ædificarunt. variæ hîc mulieres, & ferè moribus non optimis, quæ his parietibus, tamquam honeſtâ continentur cuſtodiâ. Inde langhe Gasthuys ſtraet.

HERMANNVS VANDEN HOECKE, ſex viris ætate aut morbo confectis, aream dedit, ædes ſtatuit,conditoris nomen meruit anno MDLVII. By de Calck-brugge.

Op de Peerde-merct

IVVENVM DOMVS reſpondet puellarum: inſtituitur enim hîc iuuentus variâ arte pro cuiuſq. ingenio, aut propenſâ voluntate. & delecti ſuperioribus annis ex omni hac turbà, quæ ingens omnino eſt, qui ingenio & moribus plurimum ſponderent: quique præ reliquis eruditionis aut probitatis maioris ſpem facerent, addictique humanioribus litteris, vt inde ad Philoſophiam altioreſque ſcientias tranſeant. Condidit domum IOANNA VAN SCOONBEECKE anno MDLVIII. multas Ioannas concedat hoc ſæculum; ſingulæq. Belgicæ vrbes vnam alterámve.

Inde Boeck-ſtede.

SEPTEM FRATRVM. anni ſunt ampliùs centum cùm *Henricus Loomans* domum legauit, viris ſeptem ſenio & egeſtate preſſis; ſubſidiariumq. vitæ trahendæ annuum cenſum addidit.

Inde Rop-ſtraet.

Pulcra æmulatio, oriantur plures: ſeptem ibi viris, ſeptem hîc mulieribus *Michaël vander Heyden*, anno MDLXII. domum coëmit, dedit, dotauit, nomen inſcripſit, SEPTEM PROFVSIONVM SANGVINIS; ita voluit inſcriptioni reſpondere numerum.

In Schutters-hof-ſtraet.

CATHARINA & DINA ALARTS virgines anno MDLXXXV. octodecim mulierculis domum annuumque prouentum ſtatuerunt, forti in poſteritatem prouocamento, dum æmulantur nomen cælo terrâque magnum. Enaſcantur plures, poſte-

poſteritatis & largitatis æmulę. & cùm non deſint ſorores virgines, non deſint *Alartiæ*, quadam etiam meritorum nominiſque inuidentiâ maiores.

S. ANNÆ. *Simon Rodrigues Peretti*, Baro de Rodes, domo Luſitanus, domum emit duodecim florenorum millibus, hortum tribuit, ſacellum addidit, inſtruxitque ab omni re ſacrâ; amplam dotem inſcripſit, quæ alēdis duodecim honeſtiore loco natis, ſed gradu & opibus (variante Fortunâ vices) excluſis, ſufficiat. adiunxit famulam: ſed & Sacerdotem præfecit, qui ſacris indies operaretur; qui ſacratiore verbo viciniam paſceret. Laudes etiam muſico concentu decantari voluit.

Inde Suyſtraet

Anno 1600.

VRBIS ELEEMOSYNARII anno MDCVII. octodecim feminis, quæ aut fortunâ, aut hominum malignitate, aut inualetudine variâ oppreſſę, maioris calamitatis effugium ſtatuerunt.

Inde Lepelſtraet.

IOANNES SVTOR ſex viris ſenio morbiſque attritis locum dedit, mulieremque addidit quæ famularetur. è tenui ſupellectile venit hæc liberalitas. quanti erubeſcunt imitari? Erubeſcent & præmiari. Viuet interim Sutoris nomen, nec eradet hoc vetuſtas. & vbi opes perituræ? vbi poſſeſſores harum? arbitreris tamquam ſpongiâ è mortalium tabulâ deleri, ita nec veſtigia perſtant, quantumuis ſcrutere, tenuia. quære. nec nomine

Inde Venusſtraet.

Pp 2 viuunt.

viuunt. vbi enim nulla benefacti memoria, nec nominis eſt. Vultis etiam poſt mortem viuere? vna munificentia æternabit vitam; neſcit mori, & ad cuiuſque Lectoris oculos redanimabit monumentum.

Inde Keyſerſtraet.

Teſtamento quattuor domus acceſſerunt pauperum ærario. dos abeſt. & quidquid extra nudos parietes, ærarium ſubminiſtrat. nomen loco, *Den Maeſen ganck*.

Inde Ieſusſtraet.

QVINQVE ANNVLI nomen eſt. ſeptem domus ſunt. dos nulla. induſtriâ proinde ſuâ viuunt, quæcumque hîc viuunt.

ALMERAS, fundatoris oſtendit nomen. ſex mulieribus ædiculas reliquit, ſingulis ſingulas. de ſuo victitant. Quod deeſt tolerandæ vitæ, Eleëmoſynariorum erogatur liberalitate.

Sequuntur ea quæ extra Eleëmoſynariorum curam aliorum ſubſunt imperio.

Inde Nieuſtraet.

NAVTICA tribus ſacellum ſtruxit, ædes adiecit, & leuandæ egeſtati ſuorum non poſtrema donaria.

Inde langhe Nieuſtraet.

S. NICOLAI ſacellum tribus MERCIA condidit: domus adhærent, viris feminiſque inopiâ laborantibus tutelares.

Inde Keyſerſtraet.

Nec minùs benè apteque commenſuratum habes

habes ſacellum à PANNARIA aut FVLLONIA tribu, in quâ olim bina de die ſacra, domuſque variè duodecim egenis paratæ.

S. IVDOCI ſacellum Pelliones ædificarunt, & præſunt loco opificij decuriones. *Inde Wolſtraet.*

CORIARIORVM ſacellum Coriarios conditores habuit anno MCCCCXIX. imperantque Coriarij & Sutorij decuriones. *Inde Huyvetterſtraet.*

D. VIRGO LAVRETANA. Diego Pardo inſtituit anno MDCI. ſeptem mulieribus egeſtate ad alienam miſericordiam compulſis. *Inde lange Nieuſtraet.*

SEPTEM DEIPARÆ DOLORVM. ſeptem mulierum domicilium hîc eſt: *Canonici* præſident. *Maria Feys* ære ſuo inſtituit. *Over de Minnebroeders.*

PETRVS VAN DAEL ſex egentibus domum dedit, dotem addidit anno MDXCVIII. prȩſunt conditoris heredes.

S. BARBARÆ. *Nicolaus Boot* ædes & ſacellum tribuit anno MDIV. feminis octo. *Inde lange Nieuſtraet.*

NICOLAVS VAN STIILEN ſub annum MDXVIII. extra mœnia ſex mulieribus ædes attribuit, annuumque cenſum qualem ea tempora poſtulabant. periit ſub Roſſemio. areolam deinde


nouo extruendo domicilio in ipsâ vrbe emit *Adrianus Nicolai* nepos anno MDXLIII. in hac Ioannes fratreſque domum fabricarunt.

CAPVT XIV.

Varia in vrbe loca, quæ famam merentur.


INGENTIA non vno loco terrarum miracula reperies, fluctuantes terras, nec minùs in Belgio noſtro quàm in agro Cæculo, Reatino, aut Calaminis inſulis, quas non ventis ſolùm ſed & contis quò lubet impelli videmus. Maius in Nymphæo portentum, cùm in ſymphoniæ cantu, ad ictus modulantium pedum, mouentur inſulæ, Saltuariæ dictæ. Nec inferiora montes dabunt: Hephæſtij ſanè tædâ flammante attacti, flagrant adeò, vt riuorum lapides in ipſis ardeant aquis: & duos circa Indum legimus, quorum ille ferrum omne trahit, hic reſpuit. Neque prodigiis ſuis nemora carent: habes ad aquas Cutilas ſiluam, quæ non die non nocte eodem loco viſitur. Nec ſaxa fruſtrantur miraculis: iuxta enim Harpaſa horrenda cautes, vno mobilis digito; eademque ſi impellatur, corpore reſiſtit. Magna hæc naturæ prodigia. at ego neſcio an ab humano natum ingenio minus. Inter prima ſanè operum humanorum ARX eſt vrbis huius: quinque validiſſimis firmata propugnaculis mutuum defenſantibus: mon-

Digitized by Google



Digitized by Google

ANTVERPIENSIS.



Digitized by Google

montibus deinde, qui omnem circa regionem agrumque retegant, & ab hoſtili procurſione, ingentibus tormentis bellicis, arceant, mœnibus incluſis, in tutelam raramque amœniſſimi proſpectus venuſtatem ſe in immenſum attollit. Sed & extra mœnia humilia propugnacula egeſtâ terrâ equiti procurſum præbent, tutumque receptui locum. armamentaria verò, & commeatuum reconditoria ad miraculum in immanem excurrunt vaſtitatem. ſtabulandis etiam equis ingens laxitas: & ſuper hæc militi certa tutaque domicilia, qualia in medio magnarum vrbium deſideres: & millibus facilè tribus locum præbeant; pluribus etiam, ſi qua neceſſitas arctare cogat domus. templum hîc non maximum, ſed pulcrum inter plurima eſt, ſcitè & ex arte conſtructum. Laxiſſima in Arcis medio area militari delectui commodiſſima, quæ iuſto etiam exercitui ſatis ſit.

TVRRIS D. VIRGINIS nobiliſſimum, ſi quod vſquã opus, quo nec baſilica Paulli Phrygibus mirabilior columnis, nõ Auguſti forum, non Veſpaſiani Pacis templum. audeo. non obeliſcus Eraphicus quadragenûm octonûm, non Philadelphicus octoginta cubitorum, cumq. in ingentem ſurgat cælo molem, pedum CCCCXX. cubitorum nimirum CCLXXXVIII. tantâ paſſim pellucet amœnitate,

nitate, tantâ mutuò ſuperſtantium columnarum varietate, vt & ſolaribus vndique radiis tranſuerberetur, & luci quaquâ parte viam proſpectu prębeat lætiſſimo. Cœptam ædificari inuenio anno MCCCCXXII. ac XCVI. annis ære publico ædificatam, cùm Ægyptiam pyramidem ampliſſimam, quæ octo iugera occupauerat ſoli, annis XX. conſtructam acceperimus, treſq. alias ſpectatiſſimas, quæ orbem totũ nomine impleuerunt, annis LXXVIII. menſibus IV. Datum deinde initium alteri turri, audaci potentiæ facto. nec initia tantùm; nam & faſtigium ſuperat templi, & ſuperbo vertici auguſtam ceruicem præbet. quis imponet illum? adſint animi, non deerunt opes in tam diuite non vno loco priuatorum receſſu.

HOROLOGIVM. quod M. Varro primùm Romæ in publico ſtatutum ſcribit anno Vrbis CCCCLXX. nec aliud quàm ſolare, cùm in nubilo ac nocte nullæ horæ eſſent, donec primus Naſica aquâ diuiſit horas noctium æquè ac dierum, anno
Anno 595. vrbis IↃXCV. (tamdiu enim Romæ indiſcreta lux fuit) atque hoc non niſi oculis ſubſidiarium; hoc in omnibus iam propè vrbibus etiam auribus medetur, cùm audiendi auiditatem explet, nuſquam tamen venuſtiore quàm hîc concentu. tam ſuaui modulatione anteambulus cuique horę ludus eſt, tam plena ſymphonia, vt admirationem ſtuporemque

poremq́;aduentãtibus inædificet. & quidquid alibi humanæ modulantur voces; quidquid tibiæ, reliquaque muſica, hoc æs campanum tam exprimit doctè, vt nullum extra illud modificatorem deſideres. Cogita quidquid vbiq; in quacumque gente primum, habes in vno hoc anteludio horarum pulſu. vis Æolium ſimplicem ſuauemq́ue? vis Lydium querulum ac quaſi ſingultientem? vis Phrygium religioſum, ac tamquam turturalem? vis bellicoſum armaq́ue intonantem Dorium? hîc inuenies: ac ab vnius hominis manibus pedibuſq́ue, tot quaſi animari vno tempore & pulſu campanas, tamq́ue varium acuto ſonitu, graui bombo, medio flexu concentum miſceri muſicum, vt cùm vnam videas manum, mireris varietatem, nullaq́ue non diei noctiſq́ue horâ. Alibi fors eadem reperies: neſcio an pari concentu, arte ſimili. imò nuſquam pari. quæ cauſſa, quòd admirationem aduentantibus excitet, quã tam nulla res alia: maximè in portentoſâ illâ altitudine, quâ concentu non vrbem modò, ſed & vicinos complet agros. & ingens ſanè illa eſt, cùm, vti dixi, minimùm in 420. pedes ſurgat: cui ſi impoſitum adnumeres culmen, inſertamq́ue culmini ſexdecim pedum crucem, prioribus nihilo ignobiliorem, 461. pedes expleat. rarum etiam, in hoc opere, 622. de ſolido lapide gradus recenſeri.

Cvria, Senatoria domus: cum quocumque ſcalptili Phidiæ marmore, Praxitelicà Gnidiâ, Neptuno Scopæïo, quocumque Artemiſiæ Mauſoleo componenda, ad inuidiam reliquarum propè gentium, vario opere interludente, Tuſcano, Dorico, Ionico, Corinthio. elegans ſtructura, è maculoſo candicante marmore, liuidiore tamen, ſparſimque circumuolutâ canitie, ac quaſi ſi vndatim in criſpos vortices agatur. Marmora hæc Menander, diligentiſſimus Luxuriæ interpres, longè maximo in pretio habuit, Romaniqúe veteres. Plura qui volet, Antuerpiam meam conſulat. Fusè dedi. nec addo nunc aliud. ędificari cœpta anno M.D.LX. igne perijt anno M. IↃ.LXXVI. redditaque annis ſequentibus.

Bvrsa. Nihil compono cum veteribus, cum Regum pecuniæ otioſâ & ſtultâ oſtentatione, quâ orbem terrarum impleuêre famâ. Hoc dico, elegans per omnia opus eſſe, quadraginta & tribus è patrio marmore ſubſtructum columnis, quas diſſoluere nec ſæcula quidem videantur poſſe. æuum inſcriptio tradit: longitudo in centum octoginta pedes protenditur, latitudo in centum quadraginta.

Officina vitri. Æternus hîc ignis eſt, continuis fornacibus materiam liquantibus, cùm alia flatu figuratur, alia tamquam torno teritur, alia


Digitized by Google




Google



INSTAVRATA
M. D. LXXXI.

[illegible] in Google


S. P. Q. A.
IN VSVM NEGOTIATORVM
CVIVSCVMQ. NATIONIS AC LINGVÆ
VRBISQ. ADEO SVÆ ORNAMENTVM
ANNO M. D. XXXI.
A SOLO EXTRVI CVR.


VRSA

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

alia argenti modo cælatur, alia denique auro opulentatur, tinguiturque colore quocumque, & ad quemcumque vſum; ad eſcaria etiam vaſa. nec eſt alia nunc materia ſequacior, in quam voles formam; ita ingenioſa ſolertia eſt. inuenit hîc in arenâ, in herbâ, in vario puluere, quod ignibus prouocaret in aliam aliamque faciem. In quo illud mihi ſuccurrit mirari, nihil pænè non igne perfici. ignis accipit arenas, à quibus hîc vitrum; alibi argentum, minium, plumbum, alibi pigmentorum & medicamentorum genera fundit. Magis etiam mirandum in eadem materiâ aliud gigni primis ignibus, aliud ſecundis, aliud etiam tertijs, aliudque non rarò ſequentibus. Sanè Tiberio Principe vitri temperamentum variâ materiæ mixtione, igniſque certâ temperie, flexibile excogitatum fama fuit, officinamque abolitam, ac interdictum his ignibus, ne metallorum pretia detraherentur.

OOSTERLINGA DOMVS. inſigne elegantiæ & opulentiæ monumentum. patet in longitudinem CCXXX. plus minus pedes, latitudo minor eſt. complectitur ambitu ſuo CCC. cubicula, ſingula ſingulis gentis illius mercatoribus percommoda.

CASTELLVM AQVARIVM. operoſa res: ambigas ingenio, an vtilitate maior: diſpenſandæ

in vniuerſam vrbem nouam, per ſubterraneas formas tubóſve, aquæ, mirâ dexteritate ac velocitate inſignis. indefecta hîc aqua eſt: tamque diuite nocte quàm die venâ fluit, expletque omnem vrbe totâ cacaborum auidam ac propè inexplebilem ſitim.

TYPOGRAPHIA. quanta ea hac vrbe, res loquitur: & me tacente magnitudo ſe prodit. Inhibe ignem, preme, impoſitâ fatiga mole, exſurget violentior: idem hîc eueniet. Typographiam hanc quicumque illaudatam tranſierit, ſilentio texerit, inuidentiâ preſſerit, extollet magis. euenietque quod ignibus Chimeræ, quos aquâ accendi Plinius tradidit: ita illa, quo inimico ore & calamo magis laſſata, eo publicatione librorum ſuorum ſe extollit violentiùs. & ſanè quicumque PLANTINIANAM cogitauerit, rem vnam omnium maximam cogitauerit: maiorem etiam, ſi viderit. Centum hîc propè characterum genera. nobile opus, & quod raritate & elegantiâ ſuâ admirationem prouocet: ſunt Syriacorum duo, Hebræorum decem, Græcorum nouem, Latinorum ſeptem & quadraginta, variarum linguarum & gentium reliqua: ſunt & muſicorum plurima, omnicanæ modulationi commoda. extra hæc imagines æri ac ligno faberrimè inciſæ ſculptæque ingenti numero. Denique quidquid pluri-

plurimis Typographiæ prælis exſudatur, quidquid extruditur, adeò ad limam lineamq́ue redactum, vt nec ex libitinis maligniſſimis, nec ex inuiſoribus peſſimis quiſquam habeat quod meritò deſideret. Inſpice quicumque artem amas, & vide quàm nitidâ locatione, quàm propè prodigioſâ emendatione, quàm tereti ambitu, quàm preſsâ rotunditate, quàm ſcito interuallo mutuum ſplendorem augeant; quàm nullâ protubulatione è reliquorum cœtu quidquam emineat: an non laudabis tam numeroſâ induſtriâ multiſcios, tam emendatæ peritiæ, tot vtenſilium arti ſubſeruientium Dædalos? Longum eſſet ſigillatim ac diſcretim ſingula, ſatis erit etiam curioſo lectori cunctim hæc ac coaceruatim tetigiſſe. hoc addam, Plantinum quidquid hìc eſt, auctorem venerari. & patriſſant in artificio filij & nepotes.

Vrbis moenia. octo validiſſimis in mutuam tuitionem procurrentibus propugnaculis ſolidata; quà verò agros foſſaſq́ue ſpectant, è perpetuo viuo lapide ita ad firmitatem ſtructa, vt etiam ad lautitiam arbitreris; ita arboribus in ſummo centum pedum vertice conſita, vt meritò in hoc ſublimi nemore dubites, robur an elegantia præſtet. Iam lapides alibi in venuſtatem ſectos, ſolidis alibi glebis in roboramentum poſitos videbis. Portæ operi reſpondent, firmitate, ele-

gantiâ, æmulâ laude. Sunt verò vniuerſim tredecim: agrariæ quinque; reliquæ ad flumen ducunt: his ſinguli reſpondent *Kai*, tamquam prominentes è littore aggeres: fora dixeris littoraria, & protuberantia in ſubſidium capita, variâ frequentata merce; pro quarum varietate nomen plurimùm ſortiuntur. hîc namque onere leuantur naues, hîc receptaculum orbe toto aduectarum mercium. nec ſimile huic reliqua dabit Europa; ac neſcio an reliquæ orbis partes. fortiter hoc teſtantur qui obnauigarunt orbem audaci conatu.

FLVMEN. Scio aquarum miracula. & in quo elemento maiora? In Silaro non virgulta modò, ſed & folia lapideſcunt; & in non vltimâ Belgij parte, aqua: in Dodone, immerſas cùm extinguat faces; extinctas ſi admoueris, accendit fons gelidus: in Faliſco pota candidos aqua boues facit, in Bœotio Melas oues nigras, Xanthus rufas. Lynceſtius potus temulentos reddit; hinc illud Ouidij:

Quem quicumq; parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat quàm ſi mera vina bibiſſet.

Iam Belgicas aquas medicabulas quis ignorat? neſcio tamen minúſne in hoc flumine quàm in prioribus illis portentum; dum Oceano trahitur auido hauſtu, portentosâ ad paſſuum ſexaginta millia reciprocatione, paribus quo ille interuallis. Reflua flumina quis vidit, ac per tot ſtadia ancil-

ancillantia mari? Amnes retrò fluxiſſe Neronis Principis annis ſupremis pro portento fuit. & per tot paſſuum millia reciprocis vndis violentari hoc flumen, minus portentum? Sed & latitudo pro miraculo eſt: cùm non vno loco, quà vrbem præterfluit, mille & ſexcentos pedes expleat. & reſpõdet latitudini profunditas, pedum minimùm ſexaginta: vt quantumuis onerarias nullo negotio vehat, tantâ exonerandi onerandíque facilitate, vt nauticæ rei periti, nullam ſe orbe toto parem expertos teſtentur, cùm manibus, è littore, maximæ etiam onerariæ, onere quocumque leuari poſſint. Ab hoc flumine oſtia octo, ſinuſque octo, atque hinc nauium in ipsâ vrbe receptacula octo, quę & grandiores onerarias centum de facili excipiant, emittantque. Rarum omnino opus, & quale fors nulla dabit vrbium reliquarum.

Plura poſſem. quamquam ſingula propè hæc talia ſint, vt quemcumq; alium nobilitare poſſint locum. Magnum hoc tamen, & inter memoranda recenſendum, cùm ductiles vrbe pænè totâ videas foſſas, flumine medium oppidum interfluente, ſubterque non rarò ciuitatem nauigatam aliquot etiam paſſuum millibus.

CAPVT

CAPVT XV.

SENATVS *Populuſq́ue Antuerpienſis.*

MAgna cum Romanis affinitas, vt conſanguineum arbitreris populum. Partitio apud illos ciuium, pro rerum, dignitatum, munium, opum diſcrimine, varia. In *Patres* & *Plebeios*; in *Tribus*, in *Curias*, in *Centurias*; demum in *Senatores, Equites, Plebem*, notiſſima eſt. hinc illud Auſonij:

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

Senatores dicti qui in Senatum lecti, *Patritij, Equites, Plebeiꝰve* fuiſſent. *Patritios* Romulus ſtatuit. cuius imperio ſingulæ *Tribus*, tres delegerant ætate, prudentiâ, opibus primos. nouem ergo primi Senatores: creuit numerus & centum creati: adeoq́ue ſub eodem *Romulo*, adnitente *Tatio*, CC. inueniꝰ; ſub *Tarquinio Priſco*, CCC. vt quiſque nimirum è populo, robore, diuitijs, ſapientiâ præſtabat. Acceſſerunt, referente *Graccho* Tribuno plebis, *Equites* CCC. auctus poſt hæc numerus ſub *Cæſare*, & excreuit in ꟾↃCCCC. *Patritij* ex his dicti, quorum maiores à *Romulo Tatióq́ue* in Senatum lecti, *Patréſq́*; vocati, & maiorum gentium Patritij: gentium verò Patritij minorum, quorum maiores à *Priſco* adlecti; *Patres* demum *Conſcripti*, qui *Bruto* & *Valerio* Conſulibus in demortuo-

rum

rum primorum locum ſucceſſerant. Patuit verò Senatus primùm Patritijs, Equeſtri deinde Ordini, & tandem etiam Plebeio.

Equites erant quibus equeſtris cenſus erat, opes nimirum ſupra reliquum vulgus. his publicus equus, annuluſque Ordinis ſymbolum, à Cenſore datus. Plebeij reliqui.

Eadem hìc reperio, ſimilemque partitionem. Trium enim hìc generum ordinumque ciues. *Senatorij* qui aliquando lecti in Senatum. Ex his *Patritij*, qui è vetuſtâ nobilitate, aut Conſulari aut Senatoriâ longâ retrò maiorum ſerie noſcibiles. reliqui Equeſtris ordinis ſunt. è quo ſolo poſt Patritios legi in Senatum poſſunt. *Equites*, quibus meritò hoc nomen tribuo, vulgò *Poorters*: à cenſu enim, ab opibus, ab honeſtiore negotiationis vitæque genere nomen gradumque ſortiuntur. *Plebeij* per XXIIX. nobiliora *Corpora*, vulgò *Ambachten*, partiti, quæ ſingularibus præ reliquis prærogatiuis gaudent.

Percurram ſingulos veteris illius noſtræque Reipublicæ Ordines. ac primò de *Senatoribus*, omnibuſque qui Magiſtratum in Republicâ geſſerunt, mihi verba. Et erant Magiſtratuum apud Romanos genera varia.

. Qui ſtatis temporibus ſemperque in Republicâ legebantur, Ordinarij dicti. quales *Conſules*, *Prætores*, *Tribuni*, *Aediles*, *Quæſtores*. Qui pro re

Rr natâ;

natâ; vt *Cenſores*, *Dictatores*, *Magiſtri equitum*, *Interreges* , *Tribuni militares*; Extraordinarij habiti.

A Conditione etiam, à quâ quiſque adlectus, nomen ſortiti. hinc *Patritij*, aut *Plebeij* dicti: quòd aut Patritijs aut Plebeijs conceſſi. Fuit aliquando tempus, cùm conditionum maxima ratio habita: ſoliſque Patritijs maiores Magiſtratus conceſſi. tranſierunt deinde ad Equites, ac tandem ad Plebem, anno V. CCCLIII. cùm *Tribuni militum* Conſulari poteſtate creati, adeoque *Conſules* etiam anno V. CCCXXCVIII. quin & *Dictatores*, anno V. CCCXLVIII. ac demum *Cenſores*, anno V. CCCCIIII.

Pro dignitate demum maiore, minoréve, nomen inditur. Maiores inuenio *Interreges, Cenſores, Dictatores, Conſules, Præfectos Vrbis.* Minores *Quæſtores ærarios, Tribunos plebis, Aediles, Curatores Tribuum, Triumuiros nocturnos, Triumuiros monetales, Præfectos Prætorio, Præfectos vigilum, Curatores Regionum, Magiſtros vicorum* XIV. Regionum Vrbis.

Miniſtri Magiſtratuum *Scribæ, Accenſi, Præcones, Lictores, Viatores.*

Interreges. quinquedialis hic Magiſtratus, nec aliter quàm Comitiorum cauſsâ creatus. quaſi medius inter duos Reges, abeuntem & adlectum. creatio huius è Patribus tantùm.

Interreges hîc nulli: nec vlli maiorum ætate fuerunt.

fuerunt.ſed neque Interregni nomen notum,aut ex vſu Reipublicæ huius.

Cenſores. nomen à munere datum. horum enim arbitrio populus cenſebatur. creati primò in annos quinque, inde lege cautum ne plus quàm annua & ſemeſtris cenſura foret, anno V.CCCXX.munera horum ad duo potiſſimùm deduci poſſunt, opum & morum æſtimationem. Pœna pro *Cenſoris* voluntate poſteriori adiuncta: Senatu eijcere, equum adimere, tribu mouere, idq́ue ex honoratiore in inferiorem, aut in totum mouere & ærarium facere.

Cenſoris nomen hìc nullum eſt, omneq́ue huius imperium in *Senatu* reſidet. qui adlectos in Militaria ciuium collegia, quæ *Gildas* vocant, ſi quâ labe aſperſi, loco mouent, ac quaſi ærarios ſtatuunt; quin & in grauioribus delictis è ciuium numero expungunt. nec fas ciuem pro quocumque etiam ſcelere morte mulctare, niſi ſollemni antè ritu expopulatum.

Dictatores. dicti aliquando *Magiſtri populi*, *Pratores maximi*. ſeditio & ab hoſte metus, creationis cauſſa. vnus legebatur, cuius ampla per omnia poteſtas,ac ſolo propè nomine à regiâ diſcreta. Exercitus ſcribere,educere, dimittere, omniaq́; arbitrio ſuo Reipublicę negotia gerere poterat. iuſq́ue illi in vitam caputq́; ciuium. Edicebatur verò *Dictator* à *Conſule*, iſq́ue è Conſularibus.

 Omnis

Omnis hæc dignitas in Principe degit. *Magiſtri* tamen populi Conſules dicti, *Borgher-meeſters*. Sed & *Prætores maximi* dici poſſunt, quòd inter eos qui aut de Republicâ conſultationibus, aut iuri dicendo præſunt, illi primi ſummique ſint.

Conſules. duo, annui, ſummâ parique poteſtate. *Prætores* aliquando dicti, quòd ſummæ rei pręeſſent, inde *Iudices*, ac *Conſules* tandem; manſitque hoc nomen. eleganter Cicero: *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor. militiæ ſummum ius habento: nemini parento: ollis ſalus populi, ſuprema lex eſto. Duo* deſignati, ne ſi vni imperium committerent, purpuram cogitaret. *annui*, ne inſoleſcerent imperandi conſuetudine. Benè Florus: *Ex perpetuo imperio, annuum placuit; ex ſingulari, duplex; ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur.*

Conſules hîc duos habemus. verùm cùm illi Regibus ſucceſſiſſent, etiam in ius Regum venerant: hinc vitæ necíſque in ciues poteſtatem habebant: pacem bellúmve indicere, fœdera ſancire aut rumpere illis ſollemne. at acciſa hęc in noſtris; & Principis ſunt. Imminuta tamen etiam apud Romanos Cõſularis poteſtas Tribunitiâ interceſſione, ac antè prouocatione ex lege Valeriâ. Sub Imperatoribus ſanè, pari propè cum noſtris iure vſi. hinc nata inter illos noſtróſque parilitas quædam:

dam: I. Capita vtrobique ciuium. II. Senatus etiam capita. III. Obſtrictos ſibi ciues habent. IV. Minores magiſtratus ſtatuunt, non ſoli, ſed è Senatus ſententiâ. V. Ius Senatum Populumque cogendi habent. VI. Iuri dicendo *Conſul Internus* præeſt, gubernacula Reipublicę reliqua *Conſul Externus* tenet. VII. Coërcent improbos, delicta puniunt. VIII. Annalis vtrobique dignitas. IX. Illi, quo die creabantur *Conſules*, in leges iurabant, vt & reliquus Magiſtratus, nec fas quemquam Magiſtratum gerere iniuratum. Faciunt idem noſtri in manibus *Amanni*; adſtantibus quos Magiſtratui denuntiando Principes deſtinarunt.

Diſcrimen in vtriſque quòd par apud Romanos in vtroque poteſtas, eademque. Primum tamen apud eos habitum arbitror, qui ætate maior eſſet; cùm enim lege Valeriâ XXIV. faſces, nimiæ Regiæ potentiæ indices, mutatæ in XII. eſſent, ab ætate prærogatiua fuit. In noſtris diſcrimen in imperio video. Primus *Conſul* quem *Externum* vocant, quæ vrbis adminiſtrationem tangunt, ſedulus curat, præſidetque: alter quem *Internum* ſeu *Oppidanum Conſulem* dicunt, iuri dicendo præeſt.

Prætor, quòd præeſſet, aut præiret, dictus. Cicero: *Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. is iuris ciuibus cuſtos eſto.*

Digitized by Google

huic poteſtati parento. Cauſſa *Prætorem* creandi, quòd Conſulibus bello diſtentis deeſſet qui in vrbe ius diceret; ergo *Prætor* creatus qui huic muneri vacaret. ac primò *Prætor* vnus fuit, anno vero V. C. ꟾↃI.acceſſit alter.ſed prior ciuibus, poſterior peregrinis ius dicebat: hinc nomina *Vrbanus*, *Peregrinus*. Sex deinde creati *Prætores*, Cenſorino & Manilio Coſſ. octo ſub Syllâ, decem ſub Cæſare, & XVI. etiam; qui & ſub Auguſto: duos Claudius adiecit. XIIX. ergo fuerunt, qui iuri dicendo præeſſent. & ſtetit hic numerus quàm diu ſtetit imperium; vbi minui cœpit, minuti etiam *Prætores*.

Nomen deeſt, rem poſſidemus. quid enim aliud *Internus* ſeu *Oppidanus Conſul*, quàm Iuris diſceptator, qui iudicat, iudicaríve iubeat, ciuium iuris cuſtos, & cuius poteſtati pareant? hæc enim *Interni* hîc *Conſulis* munia: cùm *Externus Conſul* alijs diſtineatur Reipublicæ rebus. Iam Prætores XIIX. quid ſunt aliud quàm *Senatores* noſtri XIIX. è quibus *Conſul Internus* vnus, princepſque reliquorum? iuri enim dicendo vt illi, ita & noſtri præſunt. reſpondet numerus, & res ipſa. nomen deeſſe inter minima pono. quamquam & *Quæſitores* dici poſſint. erant hi apud illos, qui Iudicijs, quæ quæſtiones olim dictæ, præerant; quales primi fuerunt Reges, inde Conſules, pòſt à Senatu populoque huic muneri deſtinati, ſelecti nimirum *Iudices*,

Iudices, qui iurati ſententiam ferrent; quorum decreta pro tribunali *Prætor* pronuntiaret. hos quotannis lectos non obſcurè indicat *Cicero* in Verrem; *Nunc Iudicem ex Kal. Ianuarijs non habemus.* annuus ergo hic Magiſtratus, annuus & noſter eſt. Ex his omnibus illud euincas, *Senatores* noſtros è Romanâ formulâ *Prætores*, *Quæſitores*, *Iudices* meritò dici & haberi poſſe. Olim ſeptem tamquam Septemuiri. nec plures *Iudices* aut *Scabinos* Prætoriâ ac Conſulari poteſtate lego: quorum tunc delectus è Nobilitate, Equitatu, Plebe. & ſtetit hic numerus in annum MCCCLV. cùm ſub *VVenceſlao* & *Ioannâ* Brabantiæ Ducibus, duodecim *Scabini* ſeu *Iudices* tamquam *Duodecemuiri* dati; additique ſex è primis ſex Patritijs Antuerpienſium familijs, qui Prætorio huic, duodecemuiro Senatui, conſilijs adeſſent. (quale nunc munus *Penſionariorum* duorum, qui mihi in illorum locum lapſu temporum ſucceſſiſſe videntur; aut ſanè duodecim primorum *Decurionum* ſeu *Decanorum* Corporum Reipublicæ, qui hebdomadatim omnibus diebus Lunæ conſultationibus de Republicâ interſunt.) imperatumque vt annis ſingulis ſex in Senatum adlegerentur, ſex è duodecim Magiſtratu abeuntibus; tres etiam in Conſilium adoptarentur, tribus è ſex prioribus dignitate hac abdicatis. *Conſules* deinde *Antonio* Duce anno M. CCCC. X. deſignati. factumque vt ex ſex

Senato-

Senatoribus, qui in Magiſtratu anno altero perſtarent, duo ex Equitatu, quattuor ex Artificum Collegijs eſſent. firmauit eadem *Maximilianus* Dux & Imperator, anno MCCCCLXXX. niſi quòd in noui annuâ Senatus creatione, à Senatoribus, ex Equitatu ſex, & ex eodem ordine à Vico-magiſtris tres, ab Artificum verò Collegijs non niſi tres generis ſui denuntiarentur. nec multo pòſt, anno nimirum MCCCCLXXXVI. omni Senatorio adlectui Corpora ſeu Artificum Collegia renuntiarunt: ſtatutumque vt extra Patritios, è ſolo Equitatu vulgò *Poorters* adlegi in Senatum poſſent. Demum auctus Senatus anno MCCCCXC. adnitente in primis *Maximiliano*, filioque illius Archiduce *Philippo*, & XIIX. in Senatum adſcripti; quos inter *Conſul Internus* ſeu Oppidanus, Princeps Senatus in iure dicendo. additusque ſupra hunc numerum *Conſul Externus*, qui quidquid politicam adminiſtrationem ſpectat, ſedulus curaret.

Præfectus Vrbis. muneris huius erat, nummulariorum argentariorumq; fraudes coërcere, quietem populi curare, illicitos cœtus coërcere: ſpectaculorum diſciplinæ præeſſe: in omne denique crimen, non in Vrbe modò, ſed intra centeſimum ab Vrbe lapidem commiſſum, inquirere. Primus ſub *Auguſto* creatus. Scio alium fuiſſe ſub Regibus, cùm profectis domo Regibus, ac mox Magiſtra-

giſtratibus, ne Vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubditis moderaretur. Verùm hæc dignitas extraordinaria erat: illa ordinaria, qualis eſt *Marchionis* noſtri.

Duos vrbis huius *Præfectos* meritò hîc aſſignem. Primum *Marchionem*, cuius viua in Romano Præfecto expreſſio eſt. quem & *Triumuirum Capitalem* ſtatuo. Alterum *Amannum*, cuius curæ omnis priuatarum ciuilium actionum diſquiſitio commiſſa eſt, facultaſque Senatum ſuper his conueniendi, ius poſcendi, iudicatum exſequendi.

Diſcrimen inter hoſce eſt. quòd *Præfectus Romanus* in crimen inquireret, agnoſceret, ſententiam ferret: *Marchio* noſter nomen deferat, crimina aut maleficia priuata, publicáve denuntiet, ius poſcat (nullum dicat) datum exſequatur; & quidquid publicam quietem bonumq́ue tangit, ſeriò curet. *Amannus* eadem quæ *Marchio* peragit, ſed in alio actionum genere, ciuili nimirum, idq́ue priuatorum. Illud hîc memoriâ digniſſimum; prudenti Principum noſtrorum conſilio, Ius omne, cuius laxiſſima ſpatia cognitionem & exſecutionem rerum in quæſtionem vocatarum ambitu ſuo complectuntur, bipartitò diuiſum; vt cognitionem omnem tam capitalium quàm ciuilium mixtarumq́ue rerum Senatui, denuntiationem & exſecutionem *Marchioni* &

 Amanno

Amanno demandarent: neque tamen hanc omnem, aut promiſcuè, aut vni: ſed *Marchioni*, quidquid vbique criminis aut maleficij aut ſanè publici iuris eſſet; *Amanno*, quidquid extra crimen, priuatorum ius faſque tangeret: ne ſi omnis iuris latitudo, in vno reſideret, in nimiam metuendamque potentiam excreſceret. Simul etiam, quo cuique certiùs ius ſuum conſtaret, quod non ab vnius voluntate, ſed à plurium impoſiti inter ſe muneris quadam æmulâ concertatione pugnantium, dependeret.

Quæſtores ærarij, qui & *Præfecti ærarij*, ſub *Numâ* fuerunt. horum erat ærario præeſſe, curam illius gerere, pecuniam publicè & priuatim erogare, in tabulas accepti & expenſi referre. Duo creati P. Valerio Poplicolâ Cos. *Vrbani* dicti. duo additi anno V. CCXXXII. octo deinde creati circa annum V. CCCCXCIII. viginti ſub Sullâ: XL. demum ſub Cæſare. Auguſtus verò omnem ærarij adminiſtrationem tribus *Prætorijs* ſorte lectis ad triennium mandauit.

Vnus hîc *Quæſtor* ſeu *Præfectus ærarij* eſt; cui eadem quæ Romano, munere, curâ, erogatione conceſſa. Tres tamen ſunt quibus ad triennium omnis ærarij hîc adminiſtratio credita: inter quos ille primus, duo reliqui è ciuium numero ſunt. delectus autem formula hæc eſt. Tres Senatorij ordinis, à *Senatu* deſignantur, è quibus *Decuriones* Corpo-

Corporum ciuitatis, vulgò *Ambachten*, in tres principes Tribus relati, vnum deligunt. Hic *Quæſtor* ſeu *Præfectus ærarij* eſt, diciq́ue Senatorius poteſt, cùm è Senatorio ordine deſumatur. In inferiorum delectu pugnat ex diametro cum priore, modus. *Decuriones* enim, tres ordinis ſui deſignant, è quibus *Senatores* vnum deligunt; hic plebeius dici poteſt: qui vbi triennium munus obiuit, altero triennio Plebeij ſeu ſecundi *Quæſtoris* ac *Præfecti ærarij* munere fungitur, ac demum ſexennio expleto magiſtratu abit.

Tribuni. nomen horum æquale Vrbi. ſub Romulo enim *Tribunos Celerum* lego, & *Tribuum præfectos*. Vox hæc initium duxit à ternario numero, cùm tres tantùm tunc populi partes, *Tribus* dictæ, quibus qui præerant *Tribuni* vocati. Fuerunt & *Tribuni militum*. primi tamen inter *Tribunos* poteſtate, dignitate,

Tribuni plebis. ſacroſanctus hic magiſtratus, quē violare capitale erat. è plebe creati, iuris plebeij vindices. duo primùm, mox tres additi, inde quinque: vniuerſi ergo decem, quibus nudum primùm ius auertendi vim Superiorum, & intercedendi decretis, donec paullatim populari fiduciâ progreſſi, in immoderatam lapſi licentiam, ingentium materiem turbarum & diſſenſionum dederunt. Fracta hæc ſub Imperatoribus poteſtas, donec vniuerſim ſub *Conſtantino* ſublata.

Tribunos Tribuum præfectos hîc habes è veteri Romanâ formulâ; trium primarum Tribuum, quæ reliquarum capita & principes ſunt, *Tribunos* tres. *Tribunos militum* extra belli tempora ne quære, niſi *Gildarum* ſex Capita vel Decuriones, & Corporum Reipublicæ militares duces, Tribunos dici velis. & dici poſſunt. *Tribuni* verò *Plebis* Romanâ poteſtate hîc nulli.

Ædiles, varij. *Plebeij* duo in ſubſidium *Tribunorum Plebis* creati anno V. CCLX. munus horum, ædificia priuata, publica, ritè fierent, ritè ſtatuerentur. cloacæ, aquæductus, mundi, integri aſſeruarentur; pondera iniqua, menſuræ malignæ tollerentur; quæ quis ad venalium forum detuliſſet, ea verò vitio carerent. anno deinde CCCXXCVII. creati è Patritijs

Ædiles Curules duo, ludorum maximè cauſsâ. quos Curatores Vrbis, ludorumque ſollemnium voluerunt. ſed & ornatus Vrbis, templáque Deorum horum curæ fideique commiſſa.

Aediles Cereales duo, Cereales dicti quòd frumentariæ rei præeſſent. è Patritijs hos anno V. IↃCCX. C. *Caſar* inſtituit.

Aediles hîc tres. Senatorij duo, & à *Senatu* dati, tertius à *Principe*. quattuor deinde additi è populo, qui de corruptæ potiſſimùm rei vitio cognoſcerent.

Extra hos video hîc *Aediles ſacros*, quibus Diuorum

uorum templa concredita. duos in *Aede ſummâ*, in *D. Iacobi* duos, in reliquis *Parochijs* ſingulis vnum, Senatorios omnes eoſque perpetuos, niſi quòd in Æde ſummâ ſint annales. His in Eccleſijs ſingulis iunguntur è populo *Aediles* quattuor. Præter hos, duodecim *Aediles* qui dixerit, non aberrauerit, Senatorios omnes, qui *Xenodochio, Beginaſio*, D. *Iuliani* Hoſpitali, *Leproſorum* cœtui, *Infirmariæ*, *Cæruleis Fratribus*, bini ſingulis præſunt. annuuſque hic magiſtratus eſt, & ſortitò obuenit è duodecim Senatoribus ætate munereque primis.

Triumuiri nocturni incendijs arcendis præerant. Sex hîc *Senatores*, delectu in *Senatum* poſteriores, qui arcendis incendijs præſunt, *Triumuiri nocturni* dici poſſunt.

Triumuiri Monetales præfuerunt cudendæ monetæ, dicti Triumuiri A. A. A. F. F. Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.

Eoſdem hîc habeo, vario diſcretos munere. Sunt *Magiſtri Monetales*, qui vniuerſim imperant. Sunt *Zygoſtatæ*, quos *VVardeyns* vocant, qui probatorias pyxides ac cuiuſque officinæ omnis metalli ſpecimina expendunt: ſunt metallorũ *Exploratores*, vulgò *Aſſayeurs*. Sunt *Præfecti Monetales*, qui cudendæ præſunt monetæ. hi cruda adhuc & informia excipiunt metalla, reddunt cuſa. nec aberrauerit qui Patritios ac Senatorios dixerit. nã

reliqui ferè è populo ſunt, qui metallis flandis feriundis operam locant. habentque hi Senatum ſuum annalem, duos *Pratoriâ* quadam poteſtate, ſeptem tamquam *Iudices* iuratos.

Præfectus Pratorio militibus præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam adlegerant. Quattuor inuenio ſub *Conſtantino* creatos ex Equitibus, mox etiam è Senatoribus.

Huius loco Prætoriâ quadam poteſtate præſunt hodie *Conſules* duo, & è reliquâ nobilitate duo, militaribus contubernijs, quæ *Gildas* vocant. Diſcrimen tamen aliquod in noſtris. *Conſules* ſinguli duobus contubernijs præſunt annali poteſtate; reliqui vni, ſed perpetuâ.

Præfectus vigilum. ab *Auguſto* inſtitutum reperio. qui cùm ſeptem cohortes oportunis locis conſtituiſſet, vt binas Regiones vnaquæque cohors tueretur, *Tribunos* eis præpoſuit: ac ſuper omnes *Præfectum vigilum.*

Præfectus, qui hodie cohortibus ſummâ poteſtate præeſt, *Conſul Externus* eſt: cui additus à Senatu Senator vnus. *Tribuni vigilum* quinque ſunt, vulgò *VVacht-meeſters* dicti.

Curatores Regionum Auguſtus creauit: qui cùm Vrbem in quattuordecim Regiones diuiſiſſet, inſtituerat vt annui illas Magiſtratus ſortitò tuerentur. duos verò ſingulis *Curatores* præfecit; qui Regionum, quibus prærerant, commoda curarent.

Cura-

Curatores hîc quattuordecem Regionum, in quas vrbs tota cum vicino pomerio diuiſa, videmus; & in ſingulis Regionibus duos tréſve è Senatorio ordine, annuoſque; delectu tamen Senatorio, non ſortitò præpoſitos.

Magiſtri vicorum, qui & *Vico-magiſtri*. quattuor per ſingulos vicos creabantur, vt eos tuerentur.

Duos hîc ſingulis vicis è populo præpoſitos habemus. vulgò *VVijck-meeſters*. annales ſunt.

Scribæ, erant librarij; qui rationes publicas referebant in tabulas, actaque & leges perſcribebant. fuiſſe autem hunc ordinem in Republicâ perquam honeſtum, teſte Cicerone, vel ex eo patet, quòd illorum fidei, publicæ tabulæ, decretaque Magiſtratuum committerentur. *Scribæ* multi, vnde factum vt etiam in decurias tranſlati fuerint, Quæſtoriorum, Ædilitiorum, Prætoriorum, prout à *Quæſtoribus*, *Aedilibus*, *Prætoribus* eſſent lecti.

Varij hîc *Scribæ*, & ad varia munia tranſlati. *Quæſtorius* vnus, *Aedilitius* vnus, *Pupillaris* vnus, *Pacis* vnus, *Pannarius* vnus.

Inter Scribas, *Greffiarios* & *Secretarios* vrbis numero. Maior tamen horum apud Græcos quàm Romanos dignatio. apud nos etiam multò maxima. Sunt verò in hac Republicâ *Greffiarij* quattuor, *Secretarij* quattuor; illis ſcribæ ſex, his duode-

duodecim aſſignati, quos auguror Scribarum nomine apud Romanos deſignari.

Curatores operum publicorum, aluei, cloacarum, viarum. Munus horum, curare nequid detrimenti ex his Reſpublica caperet. Primus *Tarquinius Priſcus*, montibus ſuffoſſis, penſili non vno loco Vrbe, *Quatuoruiros curandarum viarum* ſtatuit, qui vijs vel muniendis vel ſternendis præeſſent. *Auguſtus* etiam ordinarium hunc Magiſtratum fecit, cùm antè non niſi extraordinarius eſſet. additi etiam *Quinqueuiri* turribus muriſque reficiendis.

Habemus hìc eadem. pro *Quattuoruiris* tamen *Quinqueuiriſq́ᵹ Duumuiros*, vulgò *Commis* & *Contrerouleur*. quibus fora, mœnia, vici, pontes, aquæductus, ſimiliaque vrbis loca demandata.

Penſionarij, dignitate Senatoribus proximi. at nouum nomen, nec veteribus notum. æuo tamen poſteriore video Imperatoribus Iuris-cõſultos adhæſiſſe. Sanè Vlpianus Romæ Senatores quinque, Equites quinque, in conſilium Imperatoribus memorat adhibitos: audio & *Oratores* publicos deſignatos, ac tamquam perpetuos Imperatoriæ voluntatis *interpretes*. Horum munia *Penſionarij* hìc explent, Senatui à conſilijs, perenneſque apud Principes, Exteroſque, publicæ voluntatis interpretes, ac quaſi perpetua quædam memoriæ ac diſpoſitionum in Republicâ ſcrinia.

Extra

Extra hos, varios in hac Republicâ Senatorij Ordinis inuenio, qui aut varia obeunt in vrbe munia,aut iuri dicendo,non in tribunali de more ſummi Magiſtratus, ſed in ſubſellijs conſidentes, præſunt. Ex his Senatorij duo, vulgò *Hooftmannen vande Poorterije*, capita nimirum *Equeſtris Ordinis*. vt non omnino aberrauerit, qui aut *Magiſtros Equitum*, aut *Tribunos Celerum*, aut *Præfectos Prætorio* dixerit; neque vltima in vtriſque ſimilitudo. ſanè par propè dignatio eſt. licet non ignorem reperiri in omnibus illis plurima, quæ negata noſtris. ſtat tamen etiam noſtris ſua dignitas: & vt illi *Capita* ac *Præfecti Equitum* ac *Prætorio*, ita noſtri *Equeſtris Ordinis Capita Principeſq́;* ſunt. Senatorijs his, duo Equeſtris Ordinis iunguntur, par nomen ſortiti.

Duo etiam *Pannariæ Curiæ* Senatorij *Curiones*, *Gul-dekens*: quibus iuncti ex Equeſtri Ordine duo, *VVardeyns* dicti. Horum munus inquirere, denuntiare, ius poſcere, lege agere, exſequi quidquid ritè iudicio dictum decretumq́ue fuerit. Iuri verò dicendo præſunt Senatorij duo; delectiq́ue à *Senatu* ex *Equeſtri Ordine*, Seniores ſex, *Oudermans*. Fuit cùm omnis horum delectus à Principe, nunc à Senatus voluntate pendet. Laecken halle.

Quattuor deinde Senatorij *Concordiæ* pręſunt. Peys camer.
Veſtigium huius non vltimum apud Romanos. in *Concordiæ* enim templo, quod primus Camil-

lus ſedandæ ſeditioni vouit, ac dedicauit, ſolitos perpetuæ obliuioni odia ſacrare legimus, quod & de templo *Pacis* ſub Veſpaſiano poſito accepimus.

Weeſ-camer. Quin & duo qui *Tutelariæ Curiæ* præſunt, *Senatorij* ſunt; additur tertius *Equeſtris Ordinis*, quartus etiam ex aliquo *Artificum Collegio*. hi iudices ſunt. Habes apud Romanos, non leuia huius indicia; nam & *PræfectumTutelarem* ſub Antonino Philoſopho legimus, & leges deTutelis varias, Attiliam, Lætoriam, Iuliam, Titiam, Claudiam.

Præter hos duo *Teſtimonijs* præſunt. Hi teſtium dicta audiunt, fidem explorant, vitam, mores, conditionem, animum; ſiue illi ſponte, ſiue iuſſi, iurati, iniuratíve, teſtimonium dixerint. nec leue munus, ſed induſtriæ magnæ, fideique hæc res eſt. quare *Senatorios* præeſſe Reſpublica voluit, de quorum prudentiâ & integritate nemo meritò dubitaret, cùm plurimorum non raro ſalus, propoſitæque cauſſæ euentus fauſtus infauſtuſque, à prudenti circumſpectaque horum interrogatione pendeat.

Attexam hîc quædam Senatoribus eximia.

I. Nemo in *Senatum* adlegi poteſt extra Brabantiam natus. vetitum à *Ioanne* Duce anno M. CCCCXXII. vt arctiore nexu Patriæ inſertus, nec externa cogitet extraneo lactatus vbere.

II. Nemo alieno toro natus. ſtatuit *Joannes* Dux

Dux anno MCCCXXVI. Etiam in parente labes vitanda, ne quis aut à femine virus hauriat, aut degeneris frutex arboris, adultero originis fetu maculetur.

III. Nemo adulter. quod ſi adlecto aduenerit, abdicatione crimen luit, è veteri ſanctione. Quod enim ſcelus damnet, indulgens ſibi? aut quâ ſecuri è Republicâ libidinum ſiluam cædet, quâ excaudicabit, nec quidquam de reciduo fruticare permittet, coniugalis corporis defraudator? quomodo exhibebit linguam famulam in caſtimoniam Iuſtitiæ, qui membra ſua famula exhibuit immunditiæ? non poteſt iaculari cum Apoſtolo iuſtam ſententiam in luxuriæ & libidinis negotia, qui impuro alieno incendio ignes exſtinguit ſuos, qui corpus ſuum ſpeluncam facit mœchiæ, quique aliter quàm nuptijs illo vſus.

IV. Nemo Principi muneris alterius iureiurando obſtrictus. voluit *Antonius* Dux anno MCCCCXVI. cùm non raro intercurrant quæ vtrumque haud patiantur.

V. Nulli patrueles, matrueles nulli, aut de vicinitate ſanguinis innexi. Lege cauit *Ioannes* Dux anno MCCCLIV. ne cognatus ſanguis, cognatas de ciuium capite ſententias eliciat; nec tam facinoris magnitudo, quàm agnationis cæcus impetus trahat in ſanguinem.

VI. Nemo qui non annum antè ſolidum ciui-

tate donatus. ſanxit *Ioannes* Dux anno MCCCLIV. quò firmiùs coaduleſcat vrbi, fertili immiſſus trunco,cuius opimitati reſpondeat: ne ſi externo inſeratur nucleo, aſper oleaſter pro miti oliuâ exoriatur; & dum de peregrino fructificat, ſilueſcat in hac areâ.

VII. Nulli è plebe in Senatorium ordinem adleguntur. Iuſſit *Maximilianus* anno M. CCCC. LXXXVI. Magnum apud Romanos ſeminarium turbarum, mixtim Senatum legi è Patribus plebeque: nec ſemel puditum cum plebe honores communicaſſe, pareſque ſummis infimos feciſſe.

VIII. Nemo auro aditum ſibi ad Senatorios faciat honores. *VVenceſlaus* tulit anno MCCCLV. ac ne prece quidem. quod & ſanctiſſimo interpoſito iureiurando firmatur à ſingulis auſpiciorum die. Nam qui alterius vitę neciſque poteſtatem pretio parauit, quã adferre in ferendis ſententijs integritatem poteſt? Aurum qui profudit, aurum ſperat; neque enim de nihilo erogatur illud: nam & largitiones plurimùm maiora ſpectant: aut quiſquam facilè fruſtratorium profudit aurum? Hamus hic eſt, eſcaq; vilis, in ſpem maiorum. ne fidite. auro ſi percutitur, auro vincitur, quicumque viam ſtrauit auro. nec alia manus medebitur huic vulneri, quàm quæ dedit; aurea latam plagam dedit, aurea cicatricem inducet. ſic qui proiecit humorem, quo irroratum corpus neſciebat ſitim, humore

nouo

nouo ſitim pellit; nec antè hanc ponit, quàm plus hauriat quàm ſparſit; ita appetentior in hauriendo quàm proijciēdo natura eſt. & quam ſpem dabit incorruptæ mentis, qui à corruptelâ initiū duxit? non vendet qui emit, ſi ſpes affulſerit lucri maioris? Auida omnis atque adeò inexplebilis plerumque auri ſitis eſt; quantoque plus ingeſſeris, plus appetet: febris eſt, nullo reſtinguenda potu. oleum ignibus inijce, ardebunt magis.

Senatum, *Senatorioſq;* ſequebantur apud Romanos, *Apparitores*, *Accenſi*, *Serui publici*, qui præſtò omnibus Magiſtratibus eſſent, qui accirent, qui ad miniſteria parati.

Quattuor in hac Republicâ primos in hoc numero reperio, *Corteroeden* dictos: Sex deinde iuratos Reipublicæ *Tabelliones*. Sed & ſingula Tribunalia ac ſubſellia, maiora minoráque, ſuos habēt ſeruos. *Quæſtorij* quattuor, *Pacis* vnus, *Pupillarius* vnus, tres *Pannariæ Curiæ*, *Ædilitij* duo ſunt.

Tribus tres apud Romanos ſub *Romulo* reperio à tripartitâ populi diuiſione, Tribunoſque dictos qui *Tribubus* præeſſent. Singulas deinde in decem *Curias* diſpertitas, ſingulaſque *Curias* in *Decurias*, quibus ſinguli *Decuriones* præeſſent. Sub *Seruio Tullio* vrbanas quattuor, ruſticas quindecim *Tribus* video; in has verò vniuerſam turbam ruſticam, in illas vrbanum populum coniecit. ſingulari proinde prærogatiuâ

Vrbanæ Ruſticis anteſtabant. Mutata poſt hæc dignatio eſt, & laudatiſſimæ habitæ *Ruſticæ*, ingenuorum nimirum, & eorum qui rura poſſiderent; creueruntque creſcente Republicâ, & triginta & vna numeratæ, cùm *Vrbanæ* libertinorum eſſent, ac non niſi quattuor.

Alia hîc *Tribuum* ratio. Ibi vniuerſus populus Tribubus continebatur, Patres, Equites, Plebs tota. hîc populum vniuerſum in tres claſſes diſpertitum inuenio: *Senatores*, *Equites*, vulgò *Poorters*, *Corpora* ſeu Artificum Collegia, *Ambachten*. Et Equites quidem in *Vrbanas Tribus* tredecim, *Ruſticam* vnam; illas digniores, hanc minùs laudatam: *Corpora* verò in octo & viginti nobiliora Collegia, quibus ſuffragio locus eſt, diſtributa reperio: quæ qui *Tribus* voluerit, non abnuam. iſque quadraginta & vnam *Tribus* in Republicâ ſtatuet, *Equitum* XIII. *Corporum* XXVIII. Propiùs tamen rem attigiſſe arbitrabor, qui XXVIII. *Corpora*, *Curias* dixerit; nam & qui præſunt *Decuriones*, vulgò *Decanos*, vocant: has verò *Curias* tribus contineri *Tribubus*. *Nautica* prima eſt, *Mercia* ſecunda, *Pannaria* ſiue *Fullonia* tertia; ac prima quidem & tertia nouem *Corpora* tamquam *Curias* nouem, ſecunda decem amplectitur.

Comitia, trium maximè olim generum. *Curiata* à *Curijs* dicta. in his populus per *Curias* diuiſus ſententiam rogabatur; vt quod plures *Cu-*

riæ

riæ ſtatuiſſent, id iuſſum populi diceretur. Erant verò *Curiæ* triginta, in quas à *Romulo* populus diuiſus.

Centuriata à *Centurijs* dicta: in quibus populus per claſſium centurias diſtributus, ſuffragia ferebat; vt quod plures centuriæ cenſuiſſent, id demum ratum haberetur. *Seruium Tullium* auctorem tradunt, qui Romanum populum pro opum magnitudine in varias diuiſit claſſes: ſinguláſque in centurias, è quibus iuuentutem ad bella delegit.

Tributa: in quibus per *Tribus* ſuffragia ferebantur. colligebantur ea viritim, eaq́ue *Tribus* ſententia renuntiabatur, in quam plures conſenſiſſent.

Diſcrimen hîc reperio. neque enim in vnam aliquam certamq́ue Comitiorum naturam tranſire Rempublicam video. Sunt *Curiæ*, & Curiatim ſententiam dicunt ſi qua res grauior interceſſerit, quæ populi ſententiam poſtulet, & quidem viritim in ſuis ſinguli *Curijs* ſuffragium dicunt: eaq́ue *Curiæ* ſententia habetur, quam numeroſiſſima ſuffragia comprobarunt. quamquam plurimùm id quod *Decani* ſeu *Decuriones* (qui duo in ſingulas *Curias*) curiatim ſenſerint, *Curiæ* ſententia habeatur.

Centurias non reperio. varias tamen claſſes hîc habeo, in quas populus relatus. Sunt *Artificum*

Collegia,

Collegia, ſeu Reipublicæ *Corpora*: ſunt qui dignitate præſtant, vulgò *Poorters*; ego è Romanâ conſuetudine, *Equites* dixero; atque hi in tredecim vrbanos *Vicos* diſcreti, quos qui *Tribus* aut *Claſſes*, aut *Curias* etiam dixerit, non aberrauerit. Singulis duo *Vico-magiſtri* præſunt, qui, ſi quid inciderit rei grauioris, & quod populi ſententiam poſcat, conuocatis in conſilium Regionis ſeu Vici ſui primoribus, mentem ſuorum explorant, indein locum conſultationibus deſignatum conueniunt; adſunt Ordinis huius *Principes* quattuor; *Exſenatores* etiam quotquot publico munere funguntur; deliberant de re propoſitâ. illaque Ordinis huius ſententia habetur, quam plures è XXVI. *Vico-magiſtris*, Principibus vulgò *Hooftmannen*, & *Exſenatoribus*, comprobauerint.

Tribus multas enarraui. verùm ſuffragia per Tributa viritim Comitia, non niſi rariſſima, & in rebus ingentibus. Quidquid enim maxima *Vico-magiſtrorum* pars, quidquid *Decurionum* ſeu Decanorum, & ſingulorum Corporum ſeniorum, quos *Oudermannos* vocant, ſenſerit; hoc *Tribus* omnes ſenſiſſe arbitrantur, manetque hæc, haberurque rata firmaque *Tribuum* ſententia.

CAPVT

CAPVT XVI.

Militaria ciuium Collegia inſtituta, hodieq́ perſeuerant.

PRudenter à maioribus, ne marceſceret otio, arma ciui tradita, arcendo, ſi quando incurriſſet, hoſti. quod enim robur adferret, ſi quis caſus poſceret, ignaua & illæſa felicitas, quæ nullos antè labores, ſudores, pericula ſenſiſſet? quem animum pectus voluptatibus laſſum, laſciuijs fractum, eneruatum luxu? Vis magnum? admoue duris, præbe fortuitis: æſtus, frigora, aſpera, mollia, læta, triſtia, certa & dubia, iuxtà tolerare doce. ille dehinc, vbi callum per hæc duxerit, quamcumque fortunam toto feret corpore, quemcumque hoſtem lætus excipiet: & ſi ſucciderint genua; de illis pugnabit, nec proijciet in acie animam niſi per vulnera. latæ hæ ianuæ ſunt ad militarem gloriam. Inſtitutæ ergo in hanc rem Fraternitates, quas *Gildas* vocant: duæ balliſtis vtuntur, additumque nomen nouæ & veteris, quibus externus Conſul Tribunitiâ quadam militari poteſtate præeſt: arcu & ſagittis duæ, pari veteris nouæque nominis diſcretione, quibus Conſul Internus pari quâ prioribus Conſulum alter imperat poteſtate: ſclopis vna; ſexta gladijs, ſed ingentibus & non niſi vtrâque manu vibrandis; ſingu-

lis his è nobilitate delectus, eo quo ſuperiores iure præſidet: nec diſcrimen aliud, quàm quòd prioribus annuus, poſterioribus perpetuus hic magiſtratus fiet: illis cum Conſulatu imperium abit, his non niſi cum vitâ. Exercent hi ſe varijs diebus in ſuo ſinguli armorum genere, non tam in oblectationem & pompam, quàm Reipublicæ bono, loco à Senatu in hanc rem deſignato, aut coëmpto; nec deſunt victori præmia. & olim etiam oppida inter ſe de peritiâ certabant, præmio, gloriâ, & remuneratione etiam aliquâ. Munus horum varium. olim Principi in cuſtodiâ, & fida lateri manus; occurſare etiam aduentanti, deducere abeuntem, honorario aut tutelari comitatu, ſollemne aliquando, & nunc perſtat. Si quid occurrat ab hoſte grauius minarum aut bellorum, primi ad arma decurrunt, & intutiſſimo ac inualidiſſimo cuique loco præſidio ſunt. & ferè lectiſſimum ex his ciuium robur, & certa ſpes victoriæ aut metus. Tenentur ſupra reliquos ciues, graui obſtricti iureiurando, fidei in Deum, pietatis in patriam, parentiæ in Senatum; vt hoc quaſi inenodabili vinculo arctiùs ſe innectant, quàm vt pauore, aut ſpe lucri, aliena à Republicâ cogitent, dum ſe ſentiunt tam potenti diuini nominis nexu vinculatos. Duo annis ſingulis ſingularum Capita deliguntur, quos Decanos vocant. Sed & Rege decorantur, quem nulla inge-

nitæ nobilitatis, opum, aut emendicatorum ſuffragiorum numerus, ſed arma ſtatuunt. Qui ſcopum certiùs ſæpiuſque percuſſerit, Rex eſto. magnum hoc nomen proritamentum: & armorum acuit decus, dum ſinguli æmulâ depugnant laude. Hinc domeſticæ natæ exercitationes, quibus vires augent, animos acuunt, peritiam parant. creſcitque ab his ludicris & amicâ æmulatione, melior illa, quâ ſi eundum in hoſtem turpe putant vinci, dedecus à ſocio ſuperari. nec res alia magis accendit arma, & victoriam ſpondet, dùm in conſpectu ſociorum tota res agitur, qui teſtes & virtutum æmuli, laudatores aut vituperatores apud reliquos manent, famæque in poſteritatem ituræ, ſecundæ aut aduerſæ. nec deliguntur in hunc numerum alij quàm ciues, & qui quartum & viceſimum ætatis annum egreſſi, qui nullâ famâ laborauerint, quos nulla improbitas maculauerit, nullum maiorum crimen dehoneſtauerit. Trecenti verò in ſingulas has fraternitates aut contubernia olim adlegi, nunc ducenti poſſunt. Deliguntur verò ex militaribus triginta duabus ciuium cohortibus. & ferè optimus quiſque, nec ſexagenario maior. & deligendi ius apud Gildas eſt.

VOTVM PRO REPVBLICA.

PATITVR de cælo continens: nec illæſæ natant claſſes; nam & vbi luſere, ſorbentur: alibi maria mortem bibunt, eamdemq; littoribus, montibus, rupibus propinant; immittuntque regnis integris: ipſumque adeò ſolum ingluuie ſuâ inſatiatum, in ſe ſæuit acriùs, ſui depaſtor; ac tamquam vindice manu, paſcua, pecora, lætaſque & in primâ luxuriantes ſegetes iuuentâ, aut iam maturas falci, vnâ ſubducit horâ, tot exſpectatam ſolibus ruſticam ſpem ſudoremque fallens. quin & multorum ſæculorum opera, cælo inuidiam factura, momentum ſternit, æquatque ſumma infimis, dum ad humiles deducit arenas ſuperbos pyramidum vertices. Ita ludimus mortales, ludimurque cælo fabula, ac tamquam datariæ pilæ excutimur in incertum. Quid æterna iaculamur perituri vota? Vno *Tiberij* Principatu duodecim vrbibus proſtrata iacet *Aſia*, ingemitque depaſto velut vitis palmite: auulſam *Cyprum* Syriæ, *Eubœam* Bœotiæ, *Leucoſiam* Sirenum promontorio, luget orbis: merſam *Acarnaniam* Ambra-

Ambracio ſinu, *Achaiam* Corinthio vidimus; ſed & perrupit mare *Leucada*, *Antirrhium*, *Helleſpontum*, *Boſphoros* duos. iam *Pyrrham* & *Antiſſam* circa *Mæotim* Pontus abſtulit: *Elicem* & *Buram* Corinthius ſinus, & adhuc in alto veſtigia apparent. nec aliud. Aſpice ad *Palæſtinam*, quà Iordanis amnis finium arbiter; vaſtitas ingens, & fruſtrà ager eſt, & vrbes retrò, & populi frequentes, & ſola iam audit. Sed & hactenus *Sodoma* & nulla *Gomorrha*, & cinis omnia. nam & ſi quæ ibi arborum poma conantur, oculis tenus, ceterùm contactu cinereſcunt. *Hierapolim* ſanè & *Delon* & *Rhodon* & *Coon* inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe ſcimus: memoratque *Plato* maiorem *Aſiæ* & *Africæ* partem Atlantico mari ereptam: & mare Corinthium terræ-motus ebibit: & vis vndarum *Lucaniam Italiæ* abſciſſam in *Siciliæ* nomen relegauit. Quid, quod ex Inſulâ *Ceâ* triginta ampliùs paſſuum millia, abrupta terris, ipſaque adeò ſe condens terra, *Cybotum* altiſſimum deuorauit montem cum oppido *Curite*; *Phegiumq́;* Æthiopiæ celſiſſimum iugum: tamquam non ſatis foret, ſi ſola infida graſſarentur maria. Nec ab ignibus tuta vbique receptacula. ardet *Aetna*, & tot *Italiæ* montes, tantoque æuo ignibus materia ſufficit, flagratque in *Bactris Cophanti* vertex: totque paſſim diſſiliunt ſuperbiſſimi montes ignis intrinſecus fœti: & cùm

diſſiliunt, cùm deuorantur, numquam tamen finiuntur. Non *Volſinios*, non *Pompeios* de ſuo monte perfudit ignis? Iam bellis quid non licuit? non quidquid aut non fraudauit mare, aut non ſubduxit terra, aut non ambuſſit texítve cælum, detotondit gladius, & crudeli verſurâ compenſatio facta eſt? quot Regna Regnis compulſata, quot externo internoque dilaniata ac viduata ferro vidimus? Piget referre hæc triſtia, & tot miſerandas Prouinciarum recenſere vices; ita in vnam rerum naturam tot aduerſantia, tot vbique pugnantia enata videntur in interitum; vt non immeritò VOTA hæc voueam DEORVM MAXIMO, auerruncandis malis, adprecandis bonis.

Auerruncatoria Vota.

PRimum. Nullo ſubſidat æuo Reſpublica: nec obruat redditis quæ alibi hauſit hiatus; neque ingluuie ſe ſuâ terra exſatiet.

II. Non egeſtis, vt alibi, molibus infelici iaceat conſepulta puluere.

III. Nulla immortalis diebus noctibuſque flamma vexet immerentem.

IV. Nec quod nunc ambit diuitatque flumen, auerſo depauperet curſu, aut peculiari inuidiâ naturæ perruptis deuerrat aggeribus.

V. Nulla

V. Nulla inſida immani gurgite, aut immiti numquam ſatianda ſorbeant maria ſiti, quidquid hîc opulēto terra protrudit ſinu. Parcite ah! numquam impoſitura rapinæ modum? quamdiu minitabundo luditis vortice? quamdiu blando mentitoque alludentes repercuſſu, ſecura, ô nimiùm ſui, deflatis littora? hîc ſaltem gradum ſiſtite. nefas hos tranſilire limites, melioribus Deo ſacratos votis.

VI. Nulla impietas *Deum* mereatur cenſorem: nulla profanitas ignium depoſcat imbres, aut lenta cælo fulmina.

VII. Semel ferrum pauerit: nec vltrà. Ottomannicas emedullet terras, quidquid ab Iberâ manu Galláve ſæuit acriùs: ſatis ſit tuliſſe ſemel; ac quidquid olim noxæ, diluiſſe ſanguinum flumine, nouercali heu nimiùm luxuriante ſpongiâ.

VIII. Si qua offenſa Numinis, auerte qui potes; ſi qua tamen, intra minora vindex ſtet DEI manus: patiaturque ſe vinci IVSTITIA, ab æmulæ ſororis MISERICORDIÆ imbelli dexterâ. non erit inglorium cecidiſſe hac manu, oliuaque ferrum domitum. quòd ſi perſtat, vindictâ incentrice, det tantùm moram malis properantibus, & in excidium inimico volutatu, cæco proruentibus impetu, donec thura Deo de penetrali cordis, odoratiora Nabathæo fundat cinnamo; donec Arabicis ſuauiolentiores ſpargat lacrymas, ſuſpi-

ſuſpirioſo deductas pectore; donec Dauidis dilutorio cinere, Ezechiæ cilicio, Niniuiticâ inediâ, pro ſaginâ, aridâ iam cute loricata, elimatiſque delictis, læſuram abducat à diebus ſuis: omniſque poſteritas hereditariâ religione, cineris horrore, aſperitate ſacci, reciſi pabuli beneficentiâ gaudens, fortunatis maiorum veſtigijs inhæreat. Felix ſi melioribus exemplis, caſtigatione victus & cultus, à primordio homicidam gulam inediæ ſupplicijs puniat, omnemque laſciuiæ petulantiam, continentiæ fræno indutam, temperet in ſalutem; cunctiſque damnationis titulis pœnitentiâ deraſis, mundam pectoris domum DEO iam ſemel paſtam, SANCTIORI SPIRITVI paret, quo ſe ille cum cæleſtibus donis lubens æternum inſerat. Hoc *Voueo*. neque enim ſi ad delinquendum vllo vnquam tempore non puduit expandere frontem, pudere debet ad pœnitendum. nec quiſquam prudenter ſubduxit illam in dolorem, pudoris magis memor quàm ſalutis, qui explicauit in delictum. Sed neque ſatis habet ſi corde ſolo & animo ſuſpiriatur Deus, admouenda manus operi, exhibendum pretium eſt, ſi ad mercedem manum emittimus. olim Propheta Regius cineri incubat; oculos concupiſcentiâ ſordidatos, lacrymis tamquam flumine purgat; carnem illecebris irretitam, ſacco domat; ingemiſcentem, plangentem, mugientem ad Deum ſuum, dies inſomneſque

neſque ſentiunt noctes. non pœniteat ſequi, ſi imitari labentem lubuit. Miſera erubeſcentia eſt, quæ occultatione auctorem perimit. Infelix verecundia, quæ auſa temerare mandatum, veretur integrare. Fatua benignitas, quæ inualetudinem paſſa, refugit medicinam; & medentium conſcientiam vitat. Aut ergo pudoris ſiſtat cauſſam DEVS, veterque delictum; aut ſi quando peccatum, faciles ad preces aures porrigat; vt dum producta ſaluti reformatur, dum pro delinquentiâ ſupplicat, numquam Iudicis, ſemper Patris ſentiat manum.

Apprecatoria Vota.

P*Rimum ab exemplo raræ felicitatis.* Vna *Pherenice*, filia, ſoror, mater Olympionicarum fuit. Vna *Curionum* familia, in quâ tres continuâ ſerie Oratores, pater, filius, nepos. Vna *Fabiorum*, in quâ continui tres Principes Senatus. Vna ſit Antuerpia, cuius fortunatiſſimo exordio, media, finiſque reſpondeat.

II. *à conſtanti perennitate.* Oliuæ, lauro, palmæ, myrtho, cupreſſo, ederæ, rhododendro folia tradunt non decidere; circa *Memphim Ægypti* nulli arbori, ne vitibus quidem. At ego in æternâ virtutum omnium fronde Rempublicam meliore *Voto Voueo.*

III. *à fecunditate ſoli*. In *Africa* medijs arenis, ciuitas magna, *Tacape* vocant: palmæ ibi prægrandi ſubditur olea, huic ficus, fico punica, illi vitis: ſub vite ſeritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaque alienâ aluntur vmbrâ. ſuper omnia tamen eſt, biferam vitem bis anno vindemiari: & niſi multiplici partu exinaniatur vbertas, perierint luxuriâ ſinguli fructus. nunc verò toto anno metitur aliquid. In propinquis Campiniæ teſquis, ciuitatem hanc magnam ſempiternam *Voueo*. fertili hîc piro ſubdatur malus, huic prunus, pruno ceraſus, illi corylus, ſub corylo frumentum, mox legumina, deinde olus, omnia eodem anno; ac ſuper omnia

Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum, &
Sponte ſuâ ſandyx paſcentes veſtiat agnos.
Ipſa lacte domum referant diſtentia capellæ
Vbera.

biſque veniat omnis ad mulctram vitula,
—— *binos alat vbere fetus.*
Et duræ quercus deſudent roſcida mella:
verbóque vno, —— *omnis ferat omnia tellus.*

ſed & in iiſdem agris ruſticam videam ſobolem laniciam depectentem canitiem, vnde lætus pòſt virginibus duplex labor, redordiendi rurſuſque texendi fila, tam multiplici quàm grato opere.

IV. *à pro-*

IV. *à prodigijs*. Vitem & malum punicam ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite & ramis; oliuam in totum ambuſtam reuixiſſe; populum albam in nigram tranſiſſe; ficum in lauro natam memorant veteres. Ego *Rempublicam* non palmite modò & ramis, rarè nimirum ſparſis ciuibus, ſed trunco toto ſolidos virtutum fructus protrudere *Voueo*: ambuſtamque temporum malignitate, tamquam peſtilenti aëre, feliciore vitâ reſurgere; albamque ætate, & quadam canitie niueam, in robuſtiorem iuuentam tranſire: demum in perenni laureo virore fructus proferre; non inani foliorum florumque virore, aut odore, ſed centuplicato fructuum fenore, vſurariâ prodigioſaque fecunditate.

V. *ex voto L. Metelli* II. *Cos. Dictatoris*, *votum meum*. Voluiſſe illum tradunt I. primarium bellatorem eſſe. II. Oratorem optimum. III. fortiſſimum Imperatorem. IV. auſpicio ſuo res maximas geri. V. maximo honore vti. VI. ſummâ ſapientiâ eſſe. VII. ſummum Senatorem haberi. VIII. pecuniam magnam bono modo inuenire. IX. multos liberos relinquere. X. clariſſimum in ciuitate eſſe. Hæc contigiſſe illi, nec vlli alteri, poſt Vrbem conditam, narrant hiſtorici. Paria ego vrbi veſtræ. I. bellatricem maximam eſſe. II. doctiſſimam eſſe & haberi. III. fortiſſimè imperare. IV. auſpicio illius ſum-

mas res geri. V. maximis honoribus vti. VI. ſummâ ſapientiâ præeſſe. VII. nobiliſſimam Rempublicam cenſeri. VIII. pecuniam maximam bono modo inuenire. IX. optimis ciuibus repleri. X. clariſſimam inter Europæas vrbes numerari.

VI. *Votum ex eâdem domo.* Rarum inter humanas felicitates exemplum *Q. Metellus* L. F. nam præter honores ampliſſimos cognomenque è Macedoniâ, à quattuor filijs illatus rogo eſt: Prætore vno, Conſularibus tribus, duobus Triumphalibus, Cenſorio vno. *Reipublicæ* ex hoc *Voto Voueo*, vt præter honores ampliſſimos nomenque MAGNÆ, quattuor ſummis virtutibus inſeratur æternitati: *Moderatione* in ſuos, *Fortitudine* in hoſtes, *Pietate* in Deum, *Prudentiâ* in omnes. Ita *Voueo*. firmetque hæc *Vota Deus* æterno nutu.

VII. *Votum à maiorum Religione.* vt infracta fides maneat, quam accepimus à *Materno*, anno CL. à *Nauito*, *Marcello*, *Metropolo*, *Seuerino*, *Florentio*, *Valentino*, à *Seruatio*, anno CCCXLVI. à *Gaugerico*, anno IↃXXX. à *Candido*, à *Domitiano*, anno IↃXL. à *Monulpho*, anno IↃLXX. à *Godulpho*, à *Perpetuo*, ab *Huberto*, ab *Amanno*, anno IↃCXL. à *Fredigando* & *Foilliano*, anno IↃCL. ab *Eligio*, anno IↃCLX. à *VVillibrordo*, anno IↃCXC. magnis *Tungrorum*, *Traiectenſium*, *Aduaticorum*, *Ambiuaritorum*, *Gallorum*, *Belgarumque* Apoſtolis. Hos habemus

bemus fidei quam tuemur auctores. qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio quod inducerent elegerunt; ſed acceptum ab *Apoſtolis*, Apoſtoliciſque viris, *Belgis* omnibus fideliter aſſignarunt, quaque fide acceperant, certa, tuta, tradiderunt. Nihil hîc ſeductionis: nulla transfiguratio in Angelum lucis: nulla doctrina prurientibus auribus nata à prudentiâ ſæculi, à curioſitate vanâ, à carnis ſtimulo, quæ temeraria ſemper interpres eſt diuinæ diſpoſitionis.

Et quis integræ mentis credat erraſſe hos omnes, & in tam concordi ſæculorum ſenſu erraſſe tamen, & erraſſe in re ſalutis, tanto fuſo ſanguine nobiles, aut vitæ morumque integritate, aut variâ litteraturâ, aut prophetiæ ſpiritu & ſanctimoniâ magnos? aut credam Deum patrocinatum mendacio, qui tam ingentibus mundum traxerit in errorem, & tot ſæculorum errorem? Credam erraſſe in re ſalutis, & æternitatis omnes? credam *Ignatium, Polycarpum, Dionyſium, Iuſtinum, Cyrillum, Gregorios, Nicenum* & *Nazianzenum, Athanaſium, Baſilium, Chryſoſtomum, Ephrem, Epiphanium, Theodoretum, Damaſcenum,* vtrumque *Clementem, Cyprianum, Hilarium, Damaſum, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Paullinum, Iſidorum, Proſperum, Fulgentium, Prudentium, Leonem Romanum, Saluianum, Sidonium, Fortunatum, Anſelmum, Bedam,* & tot magna

cælo terraque nomina? At illi iuxtà cum illis noſtris, & nobiſcum ſenſerunt omnes. cum his conſpirat doctrina noſtra; horum verò cum Apoſtolicis Eccleſijs originalibus fidei, cum Apoſtolis ipſis, à quibus aut ipſi acceperunt, aut ab horum ſucceſſoribus indiuiduis, cum illis in comitatu, in diſciplinatu ſocijs. Noſtra ergo quam profitemur doctrina, de Apoſtolicâ traditione cenſenda: reliqua omnis de mendacio præiudicanda eſt. aut ſi hæc non de mendacio, ad originem fidem ſuam deducant, oſtendant anteceſſores ſuos; vnum nimirum ante Lutherum qui eadem quæ Lutherus & eadem omnia, vnum ante Caluinum qui eadem cum Caluino omnia, vnum ante Mennonem qui eadem cum illo omnia ſenſerit, docuerit. neque mihi à Luthero, Caluino, Mennone, ſaliant in Apoſtolos. non eſt hîc ſaltus diuinæ in humanum genus prouidentiæ; non eſt ſponſionis diuinæ, promittentis Petri fidem non lapſuram, Eccleſiam ſemel ſibi ſanguine ſponſatam non deſtituendam: quindecim proinde ſæculis oſtendant vnum, vnum qui per omnia eadem, cum Luthero, Caluino, Mennonéve ſenſerit. Vbi tot ætatum doctrinæ horum fideique Epiſcopi, ab Apoſtolico æuo per ſucceſſiones in Lutherum, Caluinum, Mennonem decurrentes, à quibus Lutheri, Caluini, Mennonis maiores in eâdem cum illis fide conteſſerantes, aut ipſi aliquando

Luthe-

Lutherus, Caluinus, Menno, in Euangelij propagationem miſſi? Oſtendant mihi tot ſæculis Apoſtolicæ doctrinæ in nouitate doctrinæ ſuæ traduces, quibuſque riuulis fons ille in Lutheri, Caluini, Mennoníſve fluxerit paſcua. Nos in omnibus orbe toto Eccleſijs, continuâ ſucceſſione, in Apoſtolicos viros, in Apoſtolos, in Chriſtum ipſum excurrimus. hi fontes, limites, origines; hæc poſſeſſio noſtra, ab ijs accepta quorum fuit res. heredes ſumus horum, illi Apoſtolorum. ſicut illi teſtamento cauerunt, ſanguine non pauci ſignarunt, morte omnes firmarunt, ita tenemus.

Scripturas obtendunt, ad eas prouocant: quâ audaciâ non paucos mouent, plurimos fatigant, infirmos capiunt, quoſdam cum ſcrupulo dimittunt. Verùm à quo ſenſum hauriunt Scripturarum? Clara eſt, aiunt, tenebræ hîc nullæ: ſolem nimirum quærimus in meridie. Hunc ſolem quindecímne ſæculorum viderunt Patres? viderunt fidei apud Belgas parentes primi? viderunt mille, & qui excurrunt, annis, maiores noſtri? an tot ætatibus Ægyptia nox, & in ſalutis negotio tam denſa Pharaonia nox, vt diem quærerent in meridie, aut ſolem ſole medio? aut tot ſæculorum viri magni commigrarunt in oculos cæci nati, & commigrarunt omnes? Iam ſi Scriptura, ſuâ claret luce, nec alieno eget ſole aut ſidere, quid diſſentiũt opinionibus Lutherus, Caluinus, Menno?

quid

quid in tantâ luce alium ſinguli vident ſolem, Scripturæ nimirum ſenſum alium? quid procurrunt in tantam opinionum inuicem pugnantium, interimentium, varietatem? Quid Doctoribus compulſant pulpita, quid Academias magiſtris replent? Si clarent omnia, ſi ſol in Scripturis in meridie eſt, quid opus Doctore? nemo in meridie ſolem quærit, vt opus ſit commonſtratore. nemo magiſtro eget à quo diſcat ſolem eſſe, lucere in meridie. Et ſanè omnium, qui vſquam vllâ ætate fuerunt, vno ſenſu, abditus ſacrarum Scripturarum ſenſus, recondita mens eſt. quis eruet ſenſum verum? ſi quindecim ſæculorum in vnum ſenſum conſpiratio non ſatis eſt ad veritatem retegendam, quę ætas ſufficiet? aut quid de veritate cenſebitur, ſi tot ſęculorum ſenſus vnus, de mendacio pręiudicandus eſt? denique quid verum, quod de arbitrio quiſque ſuo, an quod de tot ætatum ſenſu tenemus? nam ſi non de arbitrio quiſque ſuo, de cuius Lutherus, Caluinus, Menno Scripturarum pugnantem expoſitionem ſuxerunt? quis enim ignorat in vnâ non raró Republicâ tot varietates ſententiarum, tot palęſtras opinionum, tot quęſtionum ex pugnantibus propagines, tot tamque dubias in ſummis fidei capitibus implicationes, natas non ex alio, quàm ex cuiuſque arbitratu? vt etiam in vnâ non infrequenter familiâ, tot propè opinio-

nio-

nionum quot capitum diſcrimina reperias, dum ſinguli è ſuo ſenſu Scripturæ ſenſum eliciunt; & ex arbitrariâ mentis ſuæ curioſitate, feminæ iuxtà viriq́ue, de germano illius ſenſu digladiantur, gloriam de hoc curioſitatis ſuæ ſtudio venantes. Cedat curioſitas veritati, cedat gloriola ſaluti: certè aut non obſtrepat, aut quieſcat aduerſus tot ætatum exercitum, tot ſęculorum ſenſum vnum. Hunc ſenſum æternum *Vobis*, *Reipublicaq́ue* veſtræ *Voueo*: hunc candidum purumq́ue, nullo poſtumo infuſcatum flatu, nullo nouitio nidore deuenuſtatum. Nam hæc nupera, dormientibus tunc plurimis in ſimplicitate doctrinę, à Luthero, agro Dominico ſuperſeminata, à Caluino & Mennone ſota, quis de Veritate arbitrabitur? audiamus Tertullianum: *Poſteritatem*, ait, *mendacitati deputandam ex illius parabolæ patrocinio, quæ bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primò conſtituit, auenarum autem ſterilis ſeni adulterium ab inimico diabolo poſteà ſuperducit: ita ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſq́ue hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientiâ competit ad defendendam ſibi veritatem. Ceterùm ſi quæ audent interſerere ſe ætati Apoſtolorum, edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab ori-* *De præſcr. adu. hæret.*

 gine

gine decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tum cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem, & anteceſſorem. hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Eleganter Tertullianus. Videamus nunc, quæ prior, quę poſterior apud Belgas fides: Romana; an Luthero, Caluino, Mennone nata. Intueamur parentes fidei doctrinæque noſtrę primos: *Maternum, Seruatium, Gaugericum, Hubertum, Amandum, Fredigandum, Eligium, VVillibrordum, Vedaſtum, Audomarum, Piatonem, Florebertum, Vrſmarum, Bertulphum, Maurontum, Bertinum, Bauonem, Lauinum, Rumoldum*, reliquoſque longâ ſerie. Nemo inter hos Lutheranus, Caluiniſta, Mennoniſta nemo. omnes veteris Romanæque fidei fortes aſſertores, propugnatores validi. plerique monaſticam profeſſi, omnes ſacris noſtris initiati. ab his quam profitemur fidem hauſimus, nullo degenerem gradu. Nec quiſquam tam durioris & frontis eſt, tam mentis & rationis excors, qui aut illos cum Luthero, Caluino, Mennone ſenſiſſe, aut aliud à nobis ſenſiſſe audeat affirmare. Hos ergo cùm habeamus noſtros, fideique quam profitemur apud Belgas auctores primos, quid de veritate ambigamus? quid de Apoſtolico cenſu dubitemus? quid denique de Scripturarum genuino germanoque ſenſu hęreamus incerti? Hęc Tertulliani Regula eſt, contra

contra quam nulla ingenioſa hoſtilitas, nulla ſubdola vafrities quidquam poſſit. I. *Noſtra prior eſt: & his ſeminatoribus latè ſemen bonum ſparſum Belgico inſeminatum eſt agro; noſtra ergo Dominica & vera eſt.* II. *Lutheri, Caluini, & Mennonis poſterior eſt, priori ſuperſeminata; Lutheri ergo, Caluini, & Mennonis extranea, & falſa eſt:* Tertulliano teſte. De noſtrâ illud dici poteſt, à tot antè recenſitis, ſanctitate morum, integritate vitę inculpatę, eruditione magnis, vt & Gallię vniuerſę, Anglię, Germaniæ, ab *Areopagitâ, Valerio, Martiali, Irenao, Frontone, Trophimo, Manſueto, Felice, Nicaſio, Ruſo, Eucherio, Lupo, Remigio, Hilario, Martino, Germano, Ioſepho, Auguſtino, Mellito, Iuſto, Laurentio, Columbano, Patritio, Euchario, Bonifacio, VVillebaldo, Burchardo, Adelberto, Othomaro*, alijſque innumeris: *Si quis vobis euangelizauerit, prater id quod accepiſtis, anathema ſit.* anathema ergo Luthero, Caluino, Mennoni, qui aliud ab illis euangelizauerunt Belgis, Gallis vniuerſis, Anglis, Germanis. Denique credamus Paulli voce à primis fidei noſtræ parentibus nos compellari: *Et licet nos, aut Angelus de calo euangelizet vobis, praterquã quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* anathema ergo Luthero, Caluino, Mennoni, qui diuerſum à parentum noſtrorum euangelicâ denuntiatione, denuntiauerunt & euangelizauerunt nobis. Addam è Tertulliani verbis: *Edant* Lutherus,

Gal. 1.

Ibid.

Caluinus, Menno *origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab origine decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, habuerit auctorem & anteceſſorem.* nam qui ante Lutherum, Caluinum, Mennonem Epiſcopi Lutheranam, Caluinianam, Mennonianam fidem profeſſi ſunt? vbi eſt ſucceſſio Epiſcoporum illorum ab Apoſtolis Apoſtoliciſque decurrens viris? recenſeant ſuos; edant Luthero, Caluino, Mennone Epiſcopos priores, qui eadem per omnia quæ illi ſenſerunt, docuerunt. Quod ſi non poſſunt, confiteantur ſe non eſſe Apoſtolicos; doctrinamque quam tradunt non eſſe Apoſtolicam; Scripturarumque ſacrarum quem denuntiant ſenſum non eſſe Apoſtolicum. At contrà noſtra omnia Apoſtolica eſſe, fidem, doctrinam, Scripturarum ſenſum; qui & Eccleſiarum noſtrarum origines damus, & Epiſcoporum ordinem per ſucceſſionem ab origine decurrentem, ita vt primus Epiſcopus ex Apoſtolis Apoſtoliciſque viris habuerit auctorem & anteceſſorem; ac in eadem doctrinæ fideique regulâ, in eodem ſacrarum Scripturarum ſenſu, iam inde ab origine fidei noſtræ. Hanc fidem æternam Vobis, & Reipublicæ veſtræ VOVEO.

AVDI VOTA DEVS.

APPRO-

APPROBATIO.

R*Euerendi Patris Caroli ScribanI, Societatis* IESV *Theologi*, ANTVERPIA & ANTVERPIENSIVM ORIGINES, *prudenti ingenio concinnata, nihil habent, quod aut Religioni, aut cuiuſpiam honori deroget; quin multis, quales eſſe debeant, inſinuent. Meritò igitur in publicum prodibunt. Quod teſtor* XIV. *Nouembris*, M. DC. IX.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

Yy 3

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, *Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum eſt, nequis* Caroli ScribanI è Societate IESV Antuerpiam, & Origines eius, *præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpienſis excudat, aut alibi excuſas in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſue habeat. Qui ſecùs fecerit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* XVI. *Nouembris,* M. DC. IX.

Signat.

I. Fourdin.

LABORE ET CONSTANTIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google